

**VISITA PASTORALE
VALLE DI CAPRINO
DI GIOVANNI BRAGADINO**

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1744 – Liber Nonus

REGISTRO LXV



A margine: VALIS CAPRINI]

1744

PRIMA VISITATIO ECCLESiarUM
VERONENSIS DIAECESIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI EPISCOPI VERONENSIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRAELATI DOMESTICI ET CETERA
ASSISTENTIS

LIBER NONUS

LXV

Bernardo Ronchi Cancellario

INDICE DELLE PAROCHIALI

A – Affio, San Pietro in Vincola, carte 83^v.

C – Caprino, Santa Maria, c. 48 – Cavagion, San Giovanni Battista, c. 90^v – Calmasin, San Michel, c. 104^v.

F – Ferrara, Santa Cattarina, c. 41^v.

G – Gaion, San Michel, c. 10.

I – Incanal, San Luca, c. 24.

P – Piovezzano, San Zenone, c. 1^v – Pazzon, Santi Vito e Modesto, c. 29t – Pesina, San Gallo, c. 75 – Pastrengo, Santa Croce, c. 110^v.

R – Rivole, San Giovanni Battista, c. 19.

INDICE DELLI ORATORII

A – Sant' Antonio Abbate sotto Pesina, c. 80.

B – Beata Vergine Maria di Polo sotto Piovezzan, c. 6 – Beata Vergine Maria della Corona, c. 39 – San Bernardin di Vilmezano sotto Pazzon, c. 50 – San Bortolamio sotto Cavagion, c. 98^v.

C – San Carlo di Gaon sotto Caprino, c. 62 – Santa Cristina di Ceredel sotto Caprino, c. 64.

E – Santa Eurosia di Balcon di Rubiana sotto Caprino, c. 62.

F – San Francesco di Paola sotto Rivole, c. 20 – Santi Faustino e Giovita sotto Cavagion, c. 99 – San Francesco sotto Calmasino, c. 105^v.

G – San Giovanni Battista sotto Pazzon, c. 41 – San Giovanni Battista di Lubiara sotto Caprino, c. 53 – San Giovanni Battista di Boi sotto Caprino, c. 62^v.

I – Immacolata Concettione sotto Affio, c. 87^v.

M – San Michel sotto Pazzon, c. 51t – San Martino sotto Pazzon, c. 52^v – San Marco di Lubiara sotto Caprino, c. 53t – San Michel sotto Cavagion, c. 97^v – San Martino sotto Cavagion, c. 99.

P – San Pietro in Campo Regio sotto Gaion, c. 17^v – San Pietro sotto Pazzon, c. 35^v – San Pancrazio sotto Caprino, c. 65.

R – San Rocco sotto Pesina, c. 81 – San Rocco sotto Pastrengo, c. 114^v.

S – San Sepolcro sotto Caprino, c. 66.

Z – San Zenone sotto Incanal, c. 27 – San Zenone sotto Pastrengo, c. 115.

[1] In Christi nomine. Amen. Anno ab eius Nativitate millesimo septingentesimo quadragesimo quarato, indictione septima, die vero sabbathi decimo octavo mensis aprilis, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti divina providentia papae XIV anno eius quarto. Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, primam suam visitationem ecclesiarum suae veronensis diaecesis continuare summopere desiderans, oves suas in valle Caprini aliisque in locis dictae valli adiacentibus existentes multis ab hinc annis pastoris aspectu non recreatas invisere earumque vultum cognoscere suaeque pastoralis visitationis uberibus fructibus reficere constituit; qua de re, generali edicto nec non litteris particularibus singulis reverendis rectoribus ecclesiarum visitandarum praemonitis praemissisque duobus reverendis patribus strictioribus observantiae sancti Francisci, qui eius praenunciantes adventum oves visitandas ad spirituale pabulum disponent, hac die post nonas, sanctissimo Sacramento in cathedrali sua ecclesia prius adorato, rhedam suam conscendit una cum reverendissimo domino Petro Antonio Albertini, iuris utriusque doctore, pro vicario suo generali, admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini archipresbytero Sancti Ioannis ad Forum et ceremoniarum magistro, meque visitationis notario et sequentibus reverendis sacerdotibus episcopali ministerio inservientibus ac aliis personis eius actuali servitio [1^v] mancipatis, parochialem ecclesiam Sancti Zenonis de Plovezano versus contendit. Ad cuius pareciae fines obvium sibi venientem vidit admodum reverendum dominum Dominicum Baldi, rectorem eiusdem ecclesiae, una cum suo clero et populo ordine processione procedente, quapropter e rheda descensus eiusdem rectoris obsequii

humilimos actus suscepit ac, praecedente clero et populo ipso, ascendit ad aedes nobilis viri domini comitis Francisci Zenobio, patritii veneti, pro suo hospitio paratas; in quas ingressus, ibidem quieti se dedit et incoenatus obdormivit.

[A margine: PIOVEZZANO] Die dominico 19 mensis aprilis 1744. Facto mane omnibusque in ecclesia dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad portas aedium antedictarum venit ibique, sub baldachino, a sex selectis hominibus gestato, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi a praedicto reverendo rectore pluviali induto porrectam adoratus e deosculatus est ac, populo processionaliter et clero solita decantante praeceuntibus, ecclesiam ipsam adivit, in cuius limine sistens, aspersorio oblato a praedicto reverendo rectore, aqua lustrali se signavit, populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ad altare maius progrediens, ante divinum Sacramentum stratus oravit solitisque interea recitatis una cum antiphona titularis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. [2] Ad thronum sibi a latere evangelii praesentis altaris decenter paratum venit ibique violacei coloris paramentis sumptis, exequias pro defunctis persolvit tum in ecclesia tum in coemeterio, quod etiam visitavit in eoque vidit muros eum cingentes, iam restauratos. Dimissis subinde violaceis albisque indumentis sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea in cupa et operculo, intus inaurata, in reliquis partibus ex auricalco inaurato et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi rite et tute servatum. Vidit amigdalam argenteam intus inauratam pro deferendo eodem Sacramento ad infirmos qui distant a parochiali nec non ostensorium argenteum radiatum, quae omnia spectant ad ipsam parochialem ecclesiam. Ex factis perquisitionibus cognovit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; cum eo expositionem fieri ex consuetudine huius loci singula sexta feria mensis martii et singulis tertiis dominicis cuiusque mensis et, antequam cum eo populus benedicatur, fit processio cum eodem, frequenti populo ad ipsam conveniente, prout etiam in die Corporis Domini; huiusmodi functiones fieri expensis societatis eiusdem sanctissimi Sacramenti, excepta expositione quae fit in praedicti sextis feriis, quae piorum eleemosinis celebratur. Sub hac cura adesse animas 471, quarum 318 communicant [2^v] huic Sacramento et nullae ex his sunt quae non obediant ecclesiae praeceptis; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, in sero dari signa et indulgentias associantibus concessas publicari. In Paschate communicatis schedas non dispensari asseruit idem rector, eo quia, cum sint ii qui communicant pauci, ab eo facile cognosci possunt si deficient. De cereis et de lampade, quam continuo ardere ante hoc Sacramentum idem reverendus rector testatus est nec non caeteris huius altaris ornamentis providet haec communitas, sed societas Rosarii aliquam partem olei subministrat ex quo lampas ardeat. In hoc altari est societas santissimi Sacramenti, antiquitus erecta, ut apparet etiam in praecedentibus visitationibus, a qua ea omnia praestantur quae ad cultum eiusdem Sacramenti, et praesertim dum ad infirmos defertur, spectant, de quibus vidit vexillum, baldachinum, fanalia, umbellam caeteraque neccessaria pro eiusdem decenti associatione. Haec societas sanctissimi Sacramenti donata fuit annuo redditu librarum sex a quondam domino Antonio Bergamasco quondam domini Francisci Veronensis, ut apparet ex instrumento locationis perpetualis diei 12 novembris 1687 in actis domini Antonii Seriati notarii, a reggentibus exhibito, viso et restituto, quo instrumento idem dominus Antonius investivit Antonium Mondinum quondam Ioannis Baptistae de Cavaiono de una petia terrae boschiva iacente in pertinentia eiusdem [3] loci, in contrata delle Coste della Sega, cum onere solvendi eidem societati quot annis praedictam quantitatem librarum sex, ad hoc ut eiusdem societatis reggentes eas missas celebrari faciant, prout videbitur eorum pietati, pro suffragio animarum purgantium. Id etiam constat ex alio instrumento locationis perpetualis diei 20 augusti 1708, in actis praedicti notarii, in quo apparet investitum fuisse de illa petia terrae Ioannem Corradinum quondam Corradini, ad solvendam praedictam quantitatem librarum sex. In praesens reggentes eiusdem societatis, iuxta arbitrium a donatore illis concessum, aliquas missas ex hoc redditu celebrare faciunt et, si quae supersunt, in ornamento altaris impendunt. Posthaec nonnullos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane propriis manibus refecit. Sumptis propterea sacerdotalibus indumentis, sacrosanctum missae sacrificium celebravit, et quampluribus utriusque sexus christifidelibus

divinum Sacramentum ministravit. Actis Deo optino maximo gratiis, visitavit olea sancta, quae servantur in eorum custodia, in cornu evangelii altaris maioris posita, sera et clavi tute munita. Vidit vascula maiora stamnea quibus olea ipsa sancta recipiuntur a plebe Cisani, in capsula ex nuce posita sub sera et clavi custodita; vidit vasculum olei infirmorum stamneum nec non vascula oleorum chrismatis et cathecumenorum, [3^v] eiusdem materia rite confecta. Visitavit fontem baptismalem, positum in loculo decenti iuxta ianuam ecclesiae, clauso rastris ligneis, sera et clavi tute munitis. Fons ipse baptismalis rite est constructus, super quem ciborium surgit ex nuce, eleganter elaboratum, quod item clauditur sera et clavi. Unum vidit confessionale, ex nuce confectum et in hac ecclesia positum pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, marmoreum cum portatili eleganti forma constructum, quod est de iure huius communitatis et ab ipsa ut supra providetur. Societas sanctissimi Sacramenti, ex codicillo quondam dominae Margaritae Bonetti diei 19 octobris 1683, in actis domini Vincentii Ferro notarii recensito in tabella posita in sacristia, tenetur celebrari facere ex legato ducatorum biscentum, ab ipsa sibi relicto, quot annis duo officia missarum sex pro quoque in perpetuum. In hoc ipso altari celebrat etiam reverendus rector et diebus festis applicat pro populo. Huic altari est privilegium pro defunctis quotiescumque in die Commemorationis defunctorum et, in eiusdem octava ac singula tertia feria cuiuslibet hebdomadae, pro ipsis missa offertur, ut ex brevi ad septennium dato die 7 iunii 1738, in hac curia viso die 8 eiusdem anni mense augusto. Altare sanctorum Ioseph et Catharinae, quod olim sub titulo sanctae Catharinae [4] erat, marmoreum cum portatili et icone depicto, ex piorum eleaemosinis ad hanc elegantem formam redactum, in quo nullam extare missarum obligationem assertum fuit. Hoc altare manutinetur partim a societate infrascripta Rosarii, partim ex piorum eleaemosinis. Vidit scamnum quodam, quod est omnino contiguum suprascripto confessionali ex una parte, ex altera ascendit ultra columam huius altaris sancti Ioseph et appropinquat cornui evangelii eiusdem altaris observavitque a sedentibus vel genuflectentibus in ipso scamno impedimentum afferri posse ministrationi sacramenti poenitentiae, cum poenitens vix confiteri secreto possit sua peccata, vel sacerdoti offerenti sacrificium sub cuius oculis existentes ibidem et praecipue in actione canonis omnino subsunt. Quapropter ordinavit quod, stantibus rebus prout stant, provideatur ita ut impedimentum huiusmodi, vel administrationi sacramenti poenitentiae aut confessioni poenitentium, vel sacerdotalibus celebrantibus, removeatur. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis ex ligno sculpta, sub crystallis servata, circum quam depicta sunt misteria eiusdem Rosarii. Hoc altare est de ratione societatis ipsius Rosarii, iam recognitae in visitatione anni 1730, a qua societate idem altare de omnibus manutinetur. Aderat in eodem altari olim societas sub titulo Purificationis beatae Mariae Virginis, [4^v] ut constat ex libro foris inscripto “1663. Registro delli instrumenti della veneranda compagnia della beata Vergine della Cereale di San Zeno di Piovezzano” et ex instrumentis ibidem descriptis, ex quibus apparet redditus societatis, ad praesens nuncupatae Rosarii, derrivatos praesertim fuisse ex capitalibus praedictae societati Purificationis iam donatis, qui ad praesens sunt valoris scilicet: ab Antonio Benedetti exiguntur troni 37.4 – a Bartholomaeo Agnoli troni 34 – a Ioanne Maria Segatini troni 17.1 – a Ioanne Baptista Burla troni 17.1 – a Bartholomaeo Balbi troni 17.1 – a Dominico Ronca et nunc a domino Alexandro Barilla troni 34.2 – ab haeredibus quondam Pauli Ronca troni 17.1 – a Ioanne Baptista Perinel troni 8.10.6 – a Paulo Ronca quondam Felicis troni 8.10.6 – ab Antonio Coppin troni 42.12.6 – a domino Cabrusà troni 34.2 et ab Horatio Girardi troni 17.1. [Totale] troni 282.6.6. Obligationes huius societatis descriptae sunt in utraque parte tabellae positae in sacristia, cuius exemplar exhibitum fuit et infra positum sub littera A ac in primis tenetur haec societas, ex testamento quondam Gregorii Chechini reccensito in instrumento diei 25 ianuarii 1686, posito in praelaudato libro pagina 15, tamquam haeres eiusdem testatoris, ad missas celebrari faciendas, [5] quarum tamen numerus in praecitato instrumento non apparet, sed ex suprascripta tabella asseritur illum esse missarum quinquaginta duarum. Ad praesens reverendus dominus Andreas Coppinus, cui sub die 8 decembris 1702, - ut ex eodem libro pagina 19 – assignata fuit pars fructuum derrivantium ex praedicta haereditate Chechini ex capitali, scilicet ducatorum biscentum quinquaginta, tenetur tot missas

celebrare quot ex eadem parte fructuum celebrare potest. Item, ex cessione quondam domini Ioannis Baptistae Aldrighetti ducatorum centum, quae acceptata fuit a praedicta societate sub die 25 aprilis 1710, ut in eodem libro pagina 22, tenetur ad celebrare faciendum quotannis et in perpetuum missas duodecim in ecclesia seu oratorio Beatae Mariae Virginis de Pulo, infra limites huius parochiae. Item, ex cessione quondam Bartholomaei et Ioannis fratrum Agnoli, nomine etiam Francisci eorum nepotis, diei 27 septembris 1678 in actis domini Alberti Castagna notarii, descripta in libro praedicto pagina 9 nec non ex alia cessione Gregorii quondam Ioannis Mariae Segatini capitalis ducatorum centum, quae est diei 22 novembris 1712 in actis domini Augustini Castagna notarii, descripta in praedicto libro pagina 24, tenetur praedicta societas, iuxta intensionem primorum cedentium, celebrari facere missam unam quacumque prima die sabbathi cuiusque mensis in ecclesia Beatae Virginis Mariae de Spessine seu de Pulo ac insuper subministrare quotannis unam bacetam olei pro lampade ante sanctissimum Sacramentum, quae omnia adimplentur, [5^v] ex monumento quoque descripto in praedicto libro pagina 9 tergo, ubi apparet Ioannem quondam Rocchi da Monte donasse societati sanctissimi Sacramenti ducatos quinquaginta, societati beatae Virginis alios ducatos quinquaginta et societati sanctae Catharinae ducatos quindecim, cum onere aliquot missarum pro spacio temporis ibidem constituto, scilicet annorum triginta et erogandi quot annis unum minale frumenti pauperibus atque subministrandi unam bacetam olei pro lampade ante sanctissimum Sacramentum. Cum vero societas sanctae Catharinae cessaverit nullique redditus aut capitalia eiusdem sint, praedicta societas Rosarii, una cum societate sanctissimi Sacramenti, subministrat bacetam olei pro lampade et minale frumenti in pane pro pauperibus. Item, ex testamento quondam Bartholomaei de Agnolis diei 26 iunii 1741 in actis domini Bartholomaei Prato notarii, cuius exemplar, non tamen authenticum, exhibitum fuit, visum et restitutum, in quo legavit beatae Mariae Virgini a Rosario praedictae ecclesiae ducatos quinquaginta, cum onere ut societatis eiusdem reggentes celebrari faciant missas sex singulis annis, spacio viginti annorum, quo spacio absoluto, teneantur duas tantumodo missas celebrari facere. Quae omnia et quos redditus Iacobus Furia, consiliarius eiusdem societatis Rosarii, ex libris ipsius scholae excerptisse asseruit et ipse ex folio a se facto hic describenda tradidit. Vidit suggestum, in quo aliquando verbus Dei praedicatur ab aliquo sacerdote a reverendo rectore electo et ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo approbato. [6] Quibus actis, ad aedes antedictas reversus est, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 19 aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam parochialem antedictam petiit, in qua, adorato prius divino Sacramento, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismate perunxit. Visitavit subinde sacristiam, in qua vidit suppellectiles et vasa sacra, de quibus sufficienter provisum invent et ut in policea, una cum aliis, a reverendo rectore exhibita et in fine huius libri posita sub littera A, servata in armariis ligneis et nuceis in eadem sacristia dispositis. Hisce habitis, iam defatigatus, in aedes praedictas se se recepit et incoenatus quievit. Die lunae 20 mensis aprilis 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus se contulit, una cum reverendissimo domino provicario suo generali caeterisque suis familiaribus, ad visitandum publicum oratorium Beatae Virginis Mariae de Pulo, infra limites parochialis Plovetiani. [A margine. Beata Vergine Maria di Pollo] Quo perventus, aspergillo accepto a reverendo rectore Plovetiani praedicti, chota et stolla induto, se et populum frequentem aqua benedicta signavit et, ante altare genuflexus, paulisper oravit ac subinde, sacerdotalibus indumentis vestitus, sacrum fecit et aliquot utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit. Missa finita, sacerdotalibus exutus vestibus actisque Deo optimo maximo gratias, ad thronum venit ac per reverendum rectorem pueros et puellas, [6^v] mares et feminas, ibidem pro exercitio doctrinae christianae iam congregatas, expertus est ac ipsos in misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem necessariis bene edoctos esse cognovit. Subinde Confirmationis sacramentum nonnullis petentibus ministravit. Unicum in hoc oratorio existens altare visitavit, quod est marmoreum cum portatili et in quo depicta est super parietem imago beatae Mariae Virginis ad quam christifideles voti et religionis causa confluent. Hoc altare, sicut ipsum oratorium, ex redditibus eidem annexis et ex piorum eleemosinis manutinetur, quae administrantur a gubernatoribus et uno capserio, ab hac communitate electis.

Ecclesia haec habet redditus tronorum 289.1.6, prout in policea a praedicto domino Furia capserio huius ecclesiae exhibita et in fine huius libri posita sub littera A. Ex testamento Bartholomaei de Agnolis, superius – dum ageretur de societate sanctissimi Rosarii – citato, tenentur reggentes eiusdem ecclesiae celebrari facere duas missas quotannis per annos viginti iam inceptos. Alias missas celebrari faciunt societates existentes in ecclesia parochiali huius loci, prout supra descriptum fuit. In hac ipsa ecclesia adest beneficium simplex, auctoritate ordinaria erectum sub die 15 decembris 1702, instantibus et assignantibus [7] commune et hominibus huius loci, cum resservatione iurispatronatus eidem communitati et hominibus et cum consensu reverendi rectoris pro tempore. Huius beneficii capitale assignatum fuit valoris ducatorum 825 annui, vero redditus ducatorum 44, ut patet ex instuemento erectionis in hac curia nec non ex bullis eiusdem diei et anni 1702, quibus institutus fuit in eodem beneficio reverendus dominus Andreas Coppini, quas bullas ostendit. Beneficiarius ipse fruitur iisdem redditibus ducatorum 44 circiter et, iuxta onus sibi iniunctum, tot missas in singula hebdomada per annum celebrat quot importat fructus capitalium praedictorum. Praeter hoc beneficium reggentes huius ecclesiae celebrare faciunt missas singulis diebus festis per annum et duas missas singula quaque hebdomada in diebus ferialibus per reverendum dominum Ioannem Baptistam Vinco, cappellanium ab iis amovibiliter electum, traduntque eidem stipem partim ex fructibus capitalium de quibus superius dictum est obnoxiorum eidem ecclesiae, et partim ex eleaemosinis piorum christifidelium offerentium. Cappellanus iste onus habet audiendi ibidem confessiones, cum consensu et de licentia reverendi rectoris huius loci. Vidit suppellectiles eiusdem altaris satis decenter instructas et in cornu evangelii vidit suggestum in quo aliquando, tempore quadragesimali, verbum Dei enunciat a praedicatore, qui eligitur a reverendo rectore huius parochialis et benedictionem [7^v] accipit ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo. Vidit ac visitavit unum confessionale stabile existens in cornu epistolae, in quo reverendus rector Plovetiani confessiones excipit, vel alii sacerdotes illo permittente vel concedente. Vidit quoque aliam mobilem cratem, quae quoties occurrit pro confluentis populi comodo collocatur a parte evangelii, ubi sacerdotes, de eadem permissione aut concessione, confessiones audiunt. Visitavit sacristiam retro ipsum altare, in qua in armario ex nuce observavit paramenta, calicem ceteraque utensilia pro sacrificio missae, quae leguntur in policea exhibita, et in fine huius libri ad litteram A reposita. Visitantibus hanc ecclesiam die festo Assumptionis beatae Virginis Mariae concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium, dato die 16 iulii 1742, in hac curia viso die 11 septembris eiusdem anni. Vidit etiam domum quam inhabitat heremita, ad custodiam huius ecclesiae deputatus, qui modo est Hieronymus Prandini, nec non campanile, in quo extant duae campanulae. Domui praedictae contigua est domus quam inhabitat reverendus dominus Andreas Coppini, cappellanus huius ecclesiae, quae domus est de ratione huius ecclesiae eamque quoque domum visitavit. Ordinata. Prohibetur ne audiantur confessiones mulierum a parte [8] dextera huius confessionalis, sed tantummodo a parte eius sinistra – sarciatur planeta versicoloris quae est cum auro texta – suspenduntur tres plaetae versicoloris – fiat unum paramentum sacerdotale nigri coloris et sarciantur coeterae planetae quae indigent – pixis mundetur et eius pes inauretur ac conopeolo maiori tegatur. Quibus peractis et ad aedes saepedictas restitutus, in iisdem aedibus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt consilarii huius communitatis Plovetiani qui, interrogati de vita, moribus et diligentia reverendi rectoris in exercitio curae animarum huius loci et de vita et moribus sacerdotum in hoc loco degentium et an in hoc loco adsint usurarii, adulteri vel alii publici peccatores, responderunt reverendum rectorem esse bonis vita et moribus, diligentem in proprio munere fungendo; sacerdotes recte vivere nullumque – Deo dante – in hac paroecia existere publicum peccatorem. Successive comparuit reverendus dominus Baldi, rector huius beneficii, quod subest iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam Concilii tridentini illudque obtinuit die 3 septembris 1711, prout ex bullis ad sui favorem expeditis ab hac curia, quas ostendit et obtulit etiam libros huius paroeciae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuarum ac status animarum, quos vidit et visitavit. [8^v] Interrogatus postea de vita et moribus sacerdotum hic degentium et an adsint scandalosi aut publici peccatores, de omnibus recte respondit et nullum

publicum peccatorem adesse testatus est. Reverendus dominus Ioannes Baptista Vinco, sacerdos annorum 71 circiter, cum mandato ad curam animarum ad annum confirmato die 13 augusti 1743. Reverendus dominus Andreas Coppini, sacerdos annorum 62 circiter, cappellanus ut ante in ecclesia Beatae Virginis Mariae de Pullo. Reverendus dominus Ioannes Baptista Pizzolari, sacerdos annorum 32, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 8 iulii 1743. Qui omnes debito obsequio eorum mandata ordinum et ad confessiones illustrissimo et reverendissimo praesuli obtulerunt. Venit etiam vocatus Hieronymus Prandini, heremita deputatus custodiae ecclesiae Beatae Virginis Mariae de Pulo, cum licentia quaestuandi ab hac curia alias de anno 1740 relaxata et ad sex menses hodie confirmata. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, visis libris in quibus sacerdotes missas a se celebratas scribunt, tam in sacristia parochialis ecclesiae quam in altera oratorii Beatae Virginis Pulli et consideratis obligationibus superius descriptis, decrevit et monuit sacerdotes celebrantes ut quoties celebrant non modo expriment se celebrasse, sed etiam qua intentione celebraverint, aut pro quibus applicaverint, sub poenas et cetera et ita et cetera, omni et coetera. [9] Quibus absolutis, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 20 mensis aprilis 1744 post prandium. Comparuerunt Antonia relicta quondam Ioannis Baptistae Ronchi et Magdalena relicta quondam Iacobi a Vidua, ambo obstetrices huius loci, quas examinavit circa sacramenti baptismatis administrationem in casibus neccessitatis et sufficienter instructas esse reperiit. Hisce actis, ad parochialem ecclesiam antedictam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus reversus est, quam de parte in partem visitavit cognovitque eam non esse consecratam et divo Zenoni episcopo et martyri dicatam; vidit etiam campanile, in quo duo sunt campanae. Posthaec factis prius infrascriptis ordinationibus, oravit pro defunctis, et visitationem parochialis ecclesiae, cleri et populi Plovetiani antedicti in Domino absolvit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur earumque cineres in ipso coemeterio spargantur ac semper abrasae teneantur – communicatis in Paschate schedae dispensentur ac subinde recolligantur – restauretur umbella pro deferendo sanctissimo Sacramento ad infirmos – locus oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violaceo - [9^v] Fiat bursa ex panno serico violaceo pro vasculo olei infirmorum et capsula eiusdem vasculi provideatur de operculo – fons baptismalis provideatur de conopeo decentiori – exequatur ordinatio visitationis anni 1711 de pluviali violaceo comparando – auro vel argento liniatur patena retro cuprea et altera argentea inaretur – missali veteri romano aptetur novus canon et sarciatur et alterum novum provideatur – erigatur in sacristia crux magna cum crucifixo – in libro status animarum describantur nomina omnium et singulorum parochianorum, iuxta ordinem familiarum et cuicumque nomini describatur aetas et eius status, scilicet an communicet, an confirmatus fuerit, ita ut facile ex ea descriptione haec omnia cognosci possint. Egressus ex ecclesia praedicta Plovetiani receptisque a reverendo rectore, clero, consiliariis aliisque principalioribus eiusdem communitatis devenerationis et gratiarum actionis argumentis, rhedam suam, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, caeremoniarum magistro meque notario conscendit caeterisque suis familiaribus subsecutus, ad parochialem ecclesiam Gaioni iter direxit. Ad confinia obvium habuit reverendum dominum Ioannem Manzini, sacerdotem vicarium parochialis ecclesiae Sancti Michaelis Arcangelis de Gaiono, deputatum, attenta impotentia reverendi domini Martini [10] Baldi, ipsius ecclesiae rectoris ob eius ingravescentem aetatem, a quo humilitatis et laetitiae signa recepit. Iter progrediens, praesto fuerunt homines ipsius loci Gaioni, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes, a quibus stipatus ad aedes parochiales pervenit et in eisdem se se recepit.

[A margine: GAION] Posquam vero in aedibus praedictis paulisper quieverit, longioribus episcopalibus indutus vestibus, ad ianuam earumdem aedium venit, in qua sub baldachino, a quatuor gravioribus loci viris delato, receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus crucem sibi a reverendo vicario praedicto superpelliceo et stolla induto porrectam, adoravit et deosculatus est. Ad ecclesiam subinde progrediens, clero processionaliter praecedente et solita decantante, in limine eiusdem ecclesiae stetit, aqua lustrali populo benedixit, ac thurificationis honorem recepit. Ante divinum Sacramentum genuflexus, paulisper oravit servatisque ritibus a pontificali romano praescriptis solitisque decantatis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem

indulgentiam de suo mandato publicatam de more impartitus est. In throno sibi parato violacei coloris pluviali indutus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. Dimissis violaceis albisque sumptis sacris indumentis praemissisque hymno, adoratione et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum in pixide argentea in [10^v] cupa intus inaurata, in pede ex auricalco inaurato et in tabernaculo ligneo sub sera et clavi tute servatum. Reverendus vicarius testatus est hoc Sacramentum statutis temporibus renovare, in Paschate communicatis schedas distribui et subinde colligi; sub hac cura adesse animas a communione 112, in totum vero 171 nullumque ex his ecclesiae praeceptis inobedientem existere; dum ad infirmos deferendum est hoc Sacramentum, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari. Cum hoc ipso Sacramento dixit ipse reverendus vicarius processiones fieri in die sanctissimi Corporis Christi et quaque tertia dominica mensis; expositionem fieri in sextis feriis martii et singula quaque tertia dominica mensis a festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis septembris, piorum eleaemosinis. Adsunt suppellectilia pro associando eodem Sacramento ad infirmos, quae vidit quaeque descripta sunt in policea quam, una cum aliis ab aedictis praesentis visitationis requisitis, idem reverendus dominus vicarius exhibuit et in fine huiusce libri sub littera B ego notarius reponi, quae suppellectiles piorum eleaemosinis pariter comparatae fuerunt. Vidit amigdalam argenteam intus inauratam pro deferendo sanctissimo Sacramento ad infirmos qui distant a parochiali, nec non ostensorium radiatum, ex cupro inaurato rite instructum. [11] Lampas ante hoc idem Sacramentum continuo ardet et manutenetur ex provisione dominorum clericorum plebis Cisani, a quibus haec ecclesia pro altari maiori etiam recipit quot annis duodecim libras cerae. Populo subinde eodem divino Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, ad aedes parochiales antedictas restitutus in proprio cubiculo se se recepit et incoenatus quievit. Die martis 21 mensis aprilis 1744. Illustrissimus et reverendissimus Praesul, orto iam sole, ecclesiam parochialem antedictam adiit, in qua, pia emissa praeparatione, sacerdotalibus indumentis vestitus sacrosanctum missae sacrificium celebravit, quo absoluto nonnullos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Congregatis subinde pueris et puellis, pio doctrinae christianae operi incubuit ac per varias interrogationes per laudatum reverendum vicarium circa fidei misteria aliaque ad aeternam salutem neccessaria factas, expertus est pueros, puellas et adultos bene edoctos esse viditque etiam libros huius scholae sibi oblatos, ex quibus ipsam bene regi et gubernari comperuit. Post haec petentibus Confirmationis sacramentum ministravit. Porro suae pastoralis visitationi incumbens, visitavit olea sancta viditque vascula maiora in quibus eadem olea recipiuntur a plebe Cisani, quae vascula rite confecta observavit et in capsula ex nuce sera et clavi munita et in loculo [11^v] ad id in cornu evangelii altaris maioris decenter parato sub sera et clavi bene custodita. Vidit vasculum cum oleo infirmorum et alia vasa cum oleis Chrismatis et cathecumenorum, omnia ex stamno confecta et rite elaborata. Vidit fontem baptismatis, positum in loco cappellae ubi erat olim altare sancti Ioseph, quod antea, ex decreto episcopali, suspensum et dirutum fuit, prope ianuam ecclesiae a parte evangelii, qui locus rastris ligneis, non tamen sera et clavi munitis, clauditur. Vidit duo confessionalia eaque visitavit, quorum alterum est in cornu epistolae, alterum est iuxta altare sancti Antonii abbatis. Visitavit subinde altare maius marmoreum in mensa, caeterae eius partes lignae; cumque observasset ipsum altare ita instauratum ut mensa marmorea, quae fuit iam consecrata, admodum distet a pectore celebrantis et ipsammet mensam in eius medio rima praegrandi abruptam, cum calce unitam, eapropter iussit ac decrevit ut provideatur de portatile ad mensuram canonicam et in ea mensa iuxta sacrorum rituum normam collocetur idque termino duorum mensium exequatur, aliter altare ipsum suspensum declaravit et ita et cetera, omni et cetera. In hoc altari nulla adest obligatio missarum, sed in eo reverendus vicarius celebrat et diebus festis applicat pro populo. [12] In hoc ipso altari ex antecedentibus visitationibus existebat societas sanctissimi Sacramenti, quae – ut asseritur – modo cessasse videtur; quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit reverendum vicarium et homines huius paroeciae ut se se congregent in eadem societate, ad hoc ut debitus honor cedat sanctissimo divinoque Sacramento et ipsi participant de bonis spiritualibus quibus iam donata fuit haec ipsa societas, ut apparet ex diplomate eius aggregationis anni 1546,

quod authenticum exhibitum fuit, visum et restitutum. Altare beatae Virginis Mariae a Misericordia seu a Rosario, quod est marmoreum in mensa, consecratum et in reliquis partibus ligneum, cum imagine eiusdem beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta. Nullos redditus habet hoc altare, praeter duas bacetas olei, quae praestantur a nobili familia de Persico pro manutentione lampadis, ad hoc ut ardeat diebus festis; in reliquis manutinetur ex piorum eleaemosinis. Extat in hoc altari societas Rosarii, quae nullos habet redditus nullaue onera. Altare sancti Antonii abbatis, marmoreum in mensa, cum antipectile ex ligno et icone depicto et est consecratum, prout constat ex praecedentibus visitationibus. In hoc altari est obligatio trium missarum in mense, quas instituit celebrandas in prima, tertia et quarta dominica cuiusque mensis dominus Franciscus Lombardi, huius loci, in suo testamento diei 29 augusti 1741, in actis domini Caroli Zanoni [12^v] notarii, exhibito, viso et restituto et cetera, pro qua obligatione reliquit ducatos decem et octo annuos, solvendos ab herede a se instituta et respective commissariis ibidem designatis sacerdoti celebranti ac praeterea declaravit hanc officiatorum exercendam a venerabili clerico Felice Cristini, filio domini Alexandri de Ossenico, eius nepote, cum conditione ut possit etiam illa uti in partem tituli sui patrimonii ac interim, donec ordinetur sacerdos, ipsa exerceatur a reverendo domino Ioanne Mancini, vicario huius ecclesiae. Item eidem altari reliquit ducatos duos, solvendos massario seu gubernatori eiusdem, ad hoc ut impendantur pro beneficio ipsiusmet altaris. Alia relictas fuit obligatio a quondam admodum reverendo domino Antonio Cavazzocca, qui fuit archipraesbyter parochialis ecclesiae Insulae Porcaritiae, qua tenerentur rectores huius ecclesiae celebrare et celebrari facere ibidem et in festo sancti Antonii abbatis quot annis missas quatuor pro salute eius animae et suorum defunctorum, pro qua obligatione reliquit unam petiam terrae arratoriam, ad praesens prativam, in pertinentia huius loci et in contrata nuncupata Ecclesiae, quae dicitur *Il Campetto*, quae petia terrae cessa fuit a reverendo domino Alberto Ferrari, rectore huius ecclesiae, cum instrumento diei 27 iulii 1690 in actis domini Felicis Bertoni notarii, exhibito, viso et restituto et cetera. Haec obligatio adimpletur. Altare sanctissimi Crucifixi, in mensa marmoreum cum porttali, [13] in reliquis partibus ligneum, cum imagine eiusdem Crucifixi in muro depicta; in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione et manutinetur piorum eleaemosinis. Visitavit etiam sacristiam, in qua vidit vasa et suppellectiles sacras descriptas in inventario exhibito et in fine huius libri posito ad litteram B, excepto uno calice quem Veronam dictus reverendus vicarius asseruit se misisse ut restauretur et inauretur. In hac ecclesia Gaioni est obligatio celebrandi unam missam singulis hebdomadis, quae obligatio adimpleri debet a rectoribus pro tempore ipsius ecclesiae idque ex testamento quondam admodum reverendi domini Petri de Gagonis diei 17 decembris 1587 in actis domini Andreae de Bonis notarii, exhibito, viso et restituto, in quo praedictae ecclesiae idem testator reliquit duas petias terrae iacentes in pertinentia Gaioni, in ora *di Campo Rengo*, alteram vocatam *Le Vigne della Chiesa* circa campos octo et alteram vocatam *Montariondo* circa campos duos, aggravando rectores praedictos non solum ad celebrationem ut supra pro animabus fidelium defunctorum suae familiae et potissimum animae suae, sed etiam ad celebrari faciendum in eadem ecclesia omni anno in mense martii anniversarium cum novem sacerdotibus, quibus dare debeant pro eleaemosina unam candellam ponderis unciarum trium et solidos decem [13^v] denariorum pro quoque et accendere candellas altaribus et cruci ferreae, quibus oneribus aliud addidit, iubens ut distribuatur ab iisdem tria minalia pulcri frumenti redacti in panibus, videlicet unum in die Defunctorum, unum in die Veneris sancti et alterum in die Rogationum. Quae omnia, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus cognovisset, interrogavit utrum praedicti admodum reverendi testatoris pia intentio exequatur responsumque fuit a domino vicario illas petias terrae ab incursionibus militum exterorum maximum detrimentum retulisse: arbores enim pro maiori parte succisae fuerunt et deinde ab eodem exhibitus fuit liber reddituum qui percipiuntur ex iisdem petiis terrae, ex quo apparet ipsos redditus vix summam nonaginta tronorum excedere, compraehensis expensis, unde supplere vix posse pro missis celebrandis singulis hebdomadis. Super quibus idem illustrissimus et reverendissimus praesul monuit praedictum reverendum vicarium ut omni studio curet suprascriptas petias terrae meliorari, sibi resservans quatenus et cetera decernere quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Extat alia obligatio

reverendo rectori pro tempore celebrandi duodecim missas de requiem pro anima quondam domini Francisci quondam Hieronymi de Insulo huius loci, qui in suo testamento diei 21 martii 1724 in actis domini Georgii Florii notarii, exhibito, viso et restituto et cetera, reliquit cum praedicto onere venerabili ecclesiae Sancti Petri in Campo Regio, intra limites [14] huius parociae, capitale ducatorum centum, quod investitum fuerat apud haeredes et bona quondam domini Cavallerii Gagioni, cum instrumento die 20 iunii 1609 in actis quondam Venturae Bertarini notarii, ibidem viso et restituto; nunc vero in bonis domini Lauri Brunelli et super petiam terrae prativam cum moris et diversis arboribus, iacentem in hoc loco, in contrata *del Passo*, nominatam *il Broletto*, unius campi circiter, prout describitur in praecitato instrumento. Percipitur fructus ducatorum sex et exequitur dispositio praedicta testatoris, quam et deinceps exequendam monuit ipse illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in suprascripta ecclesia Sancti Petri. Dominus Ludovicus Gagioni, in suo testamento diei 9 februarii 1621 in actis Ioannis Baptistae Gandini notarii, cuius particula autentica exhibita, visa fuit et restituta, legavit ducatos quinquaginta de grossis huic parochiali ecclesiae ad hoc ut, ex eorum fructu, in die sequenti festo sancti Michaelis mensis septembris, rector celebrari faciat in praedicta ecclesia unum officium mortuorum missarum sex pro salute animae suae et suorum mortuorum. Ad praesens solvit fructum eiusdem capitalis dominus Franciscus Calciolari, successor praedicti testatoris et satisfit oneri. Marcus Franconi quondam Francisci, in suo testamento diei 31 martii 1607 in actis domini Iulii Mariani, cuius particula autentica exhibita fuit, visa et restituta, reliquit huic ecclesiae medietatem fructus capitalis ducatorum centum, scilicet [14^v] ducatos tres, cum onere celebrandi tres missas in honorem Sanctissimae Trinitatis et quae supersunt eleemosinae ibidem assignatae erogandi pauperibus Christi qui existunt in hoc loco. Domina Theodora quondam domini Bernardini Fiorio vidua, relicta quondam domini Antonii Berti, in sua donatione primi februarii 1677 in actis domini Iacobi Bernardi notarii, in forma authentica exhibita, visa et restituta, donavit et cessit rectoribus pro tempore huius ecclesiae unam petiam terrae arratoriam, nunc prativam, positam in pertinentia huius loci, nuncupatam *il Campetto*, quantitatis medii campi circiter, ibidem descriptam, ad hoc ut quot annis celebrent missas quatuor pro salute eius animae et satisfit. Nobilis domina Tarsia Bagolini, uxor quondam nobilis domini Antonii Gagioni, in suo testamento diei 25 iunii 1690 in actis domini Andreae Bonis notarii, cuius particula exhibita, visa fuit et restituta, reliquit unam petiam terrae in eo loco ubi dicitur *Sotto Cengia* huius loci, arratoriam quantitatis duorum camporum circiter, aliam petiam terrae arratoriam cum olivis, in loco qui dicitur *la Sabionara*, quantitatis trium quarteriorum et medietatem alterius petiae terrae arratoriae cum olivis, dictae *li Ronchi*, cum onere dandi novam culcitram cuicumque puellae huius loci quoties matrimonio copulabitur, declarans ut redditus huiusmodi petiarum terrae administrentur a reverendo curato huius ecclesiae, a massario societatis beatae Virginis existentis in ipsa ecclesia et ab uno [15] homine huius communitatis, qui sit aetatis matura, timens Deum, eligendus et approbandus ab ipsis reverendis curato et massario, qui in hoc officio continuare debeat quousque videbitur praedictis curato et massario, ita ut gubernium reddituum dictorum bonorum primo anno sit penes massarium, secundo penes hominem praedictum ut supra electum et prout in praedicto testamento, ad quod et cetera; addidit etiam et prohibuit ne quocumque tempore praedictae petiae terrae aut quacumque de causa possint concedi ad livellum aut ad affectum temporale, neve alienari possint, sed a bonis et fidelibus laboratoribus exercentur. Praeter onus praedictum, voluit ut quot annis detur una baceta olei huic ecclesiae parochiali in festo Purificationis beatae Virginis Mariae pro manutentione lampadis in honorem Domini nostri Iesu Christi et, si quid supererit ex iisdem redditibus, iussit ut per praedictos tres commissarios distribuatur pauperibus eiusdem loci. Reverendus dominus vicarius et homines Gagioni asseruerunt extare praedictas petias terrae, excepta illa quae est in loco dicto *la Sabionara* eamque possideri seu occupari a domino Francisco Calciolari; praeterea asseruerunt reverendum dominum Martinum Baldi, rectorem huius ecclesiae, dono dedisse pro hac opera pia unam petiam terrae in hac pertinentia et in loco dicto *li Zocchetti* cohaerentem ab una parte praedicto reverendo Baldi et ab aliis tribus praedicto domino Calciolari, quantitatis dimidii unius quarterii circiter, quae petia est arratoria cum vineis. [15^v] Super quibus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus

episcopus interrogavit an exequatur pia voluntas dictae testatricis et responsum fuit a praedictis ad praesens, stante olivorum siccitate, non pecipi nisi fructum tronorum sexdecim circiter, quinimmo praedictas petias terrae affictatas fuisse et ad praesens non servari ordinem institutum a testatrice pro administratione reddituum; quapropter idem illustrissimus et reverendissimus praesul monuit ut dominus vicarius, una cum massario societatis beatae Virginis Mariae, eligant hominem eius qualitatis quam praescripsit testatrix; deinde prohibuit ne petiae terrae affictentur et iterum monuit ut via iuris recuperent petiam terrae ut supra occupatam, onerans eorum conscientiam ac demum declaravit observandam esse mentem testatricis in impendendis fructibus iuxta eorum vires. Hisce actis, in aedibus praedictis se se recepit, prandium sumpsit et quievit. Die antedicta 21 mensis aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum antedicto reverendissimo domino provicario suo generali, in supradictis aedibus parochialibus pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Ioannes Mancini vicarius, ob decrepitam aetatem reverendi domini Martini Baldi, huius ecclesiae rectoris, absentis et suae necessitatis gratia apud suos nepotes in loco Affii commorantis, deputatus cum mandato huius curiae diei 3 septembris 1739, ibidem praesentato, qui obtulit libros huius curae, matrimoniorum [16] scilicet, baptizatorum ac status animarum, quos vidit et visitavit. Interrogatus subinde de vita et moribus sacerdotum hic degentium et an in hac cura adsint publici peccatores, de sacerdotibus recte respondit nullumque publicum peccatorem existere testatus est. Franciscus Ferrari, clericus in lectoratus minori ordine constitutus, aetatis annorum 31 circiter, quem monuit ut dimittat habitum clericalem, stante eius inhabilitate ad litteras aliisque moventibus animum suae illustrissimae et reverendissimae dominationis. Venerunt Helisabeth uxor Antonii Brentegani et Francisca uxor Michaelis Tosi, ambo obstetrices huius loci, quas examinavit circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus necessitatis easque sufficienter instructas esse invenit. Vocati comparuerunt denique consiliarii huius communitatis, qui interrogati de vita, moribus et diligentia in exercitio curae animarum reverendi vicarii et an hic adsint publici peccatores, responderunt reverendum vicarium esse bonis vita et moribus ac diligentem in proprio officio nullumque publicum peccatorem – Dei gratia – adesse. His peractis, in praedictam parochialem ecclesiam Gaioni descendit, quam totam visitavit de parte in partem viditque in ea suggestum ex quo aliquando concionatur cum benedictione episcopali. Hoc beneficium est filiale plebis Cisani, cui huius ecclesiae rector [16^v] tenetur inservire in die sabbathi sancti pro conficiendo fonte baptismali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. Ecclesia haec est consecrata anno 1564 ab illustrissimo et reverendissimo domino Hieronymo Nichesola, episcopo Theani, ut eruitur ex quadam notula antiqua, cuius exemplar exhibitum fuit et in fine huiusce libri positum sub littera B et anniversaria consecrationis dies agitur die 15 ianuarii cuiuslibet anni. Posthaec, factis infrascriptis ordinationibus, pro defunctis oravit et huius parochialis ecclesiae, cleri et populi Gaioni visitationem in Domino absolvit, sibi resservans in itinere visitare publicum oratorium Sancti Petri in Campo Regio, infra limites huius parochialis ecclesiae Gaioni. Ordinata. Inauretur clavis tabernaculi vel fiat argentea – provideatur de bursa ex panno serico violaceo pro vasculo olei infirmorum – construatur locus pro custodia oleorum sanctorum retro altare maius, in face chori a parte evangelii, ad hoc ut olea ipsa ab humiditate terrae procul distent et ostiolum eiusdem sit depictum et in eo describantur haec verba: *Olea Sancta* – ciborium super fontem baptismalem restauretur ita ut ex rimis pulvis in ipsum non descendat – [17] rastris claudentibus fontem baptismalem apponatur sera et clavis qua semper clausi sint – suspenditur confessionale prope altare sancti Antonii abbatis et amoveatur alterum positum in cornu epistolae et transferatur iuxta ianuam maiorem ecclesiae, in cuius altera parte aliud confessionale erigatur, ita tamen ut utrisque crates sint rite confectae – firmetur tabernaculum in altari maiori existens – provideatur altare maius de tribus aliis mappis pro ipso, ad hoc ut, dum illae quae nunc existunt purgantur, altare ipsum mappis non deficiat; provideatur etiam de pulvinaribus decentioribus – altari maiori praedicto ponatur figura Ressurrectionis in apice tabernaculi tempore paschali – altare beatae Virginis Mariae a Rosario provideatur de cruce maiori cum crucifixo nec non de tela cerata pro cooperienda mensa – Altare sancti Antonii abbatis provideatur de

pulvinaribus decentioribus – restaurentur missalia quae indigent restauratione et addantur ipsis missae recentiores sanctorum – exequantur ordinationes in praecedentibus visitationibus factae de pluvialibus violacei et albi coloris comparandis: neque enim pluviale viride quod mox sarcitum fuit sufficit pro supplemento praedictorum colorum – fiat fons pro manibus sacerdotum abluendis aut saltem [17^v] appendatur in sacristia scitula pro eodem usu ac ibidem sit manutergium, prout in praecedentibus visitationibus non semel iussum fuit – tabernaculum quo adhibetur in maiori hebdomada restauretur et, prout alias ordinatum fuit, rite claudatur sera ac interim, donec exequum hoc fuerit, sit suspensum – in libro renatorum exprimat hora nativitatis – in libro matrimoniorum, quoties occurrit dispensatio aliqua, super publicationibus in partita describat cur unicam vel duas fecerit publicationes, citando episcopale mandatum, cum die et anno ipsius.

Absoluta visitatione parochialis Gaioni, rhedam suam, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ascendit et, a ceteris suis familiaribus subsecutus, ad parochialem ecclesiam Rivolarum iter direxit. [A margine: San Pietro in Cattedra] In itinere visitavit publicum oratorium Sancti Petri in Campo Regio, intra fines parochialis Gaioni praedicti viditque in eo unicum altare marmoreum in mensa, in reliquis partibus ligneum cum portatili et icone depicto, santo Petro in Cathedra dicatum. In hoc altari nulla alia est obligatio quam illa quae superius descripta fuit, relicta a quondam Francisco de Insulo, missarum scilicet duodecim de requiem. Visitantibus hoc oratorium in die sanctorum Petri et Pauli concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico diei 5 maii 1741, [18] ad septennium dato et in hac curia approbato die 26 martii anni currentis, cuius occasione parochus et alius sacerdos ab ipso electus audiunt in hoc oratorio confessiones in duobus confessionalibus mobilibus, quae vidit et visitavit. Retro altare vidit armarium in quo aliquae suppellectiles pro sacrificio missae servantur et quae descriptae sunt in inventario a reverendo vicario parochialis ecclesiae ut ante exhibito. Hoc oratorium dotatum est medietate unius campi, positi retro idem oratorium et alia parte terrae ante fores ipsius ecclesiae. Habet domum contiguam, ubi ad presens inhabitat Ioannes Baldi et custodit idem oratorium. Ordinata. Altare provideatur de mappis tribus ad hoc ut illae quae nunc existunt mundari possint – missale romanum sarciatur – fenestrae in prospectu ecclesiae muniantur speris saltem linteis – confessionali ubi adest crates latea, crates ipsa firmetur – alteri confessionali ubi est crates lignea ponatur alia crates latea, cum foraminibus spissioribus et interim hoc suspensum remaneat – firmetur portatile in mensa altaris illiusque rimae obturentur – tota ecclesia haec mundiori forma teneatur et domus contigua reparetur, praesertim in tecto – in reliquis exequantur ordinationes tam in visitatione [18^v] anni 1710 quam in illa 1730 circa hoc oratorium factae – cum vero praesens custos huius oratorii in ea aetate constitutus sit ut ob eius senectutem vix sibi sufficere possit, ideo illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit reverendum dominum vicarium Gaioni ut quamtotius eligat aliquem probum, pium ac religiosum virum habitu haeremitico induendum, cum licentia episcopali, qui comoretur una cum praedicto Baldi ibidem et custodiat oratorium atque incumbat attente ut decentius et servetur et ornetur – fructus omnes ex suprascripta petia terrae provenientes impendantur in reparatione et ornamento ipsius ecclesiae. Hisce actis, iter suum prosecutus est usque ad fines pareciae Gaioni ubi, exceptis a praedicto reverendo vicario et a rappresentantibus communitatem eiusdem loci nec non ab universo populo humillime obsequii actibus, montibus hinc inde ex tormentorum manualium frequenti explosione personantibus, in Rivolarum paroecia ingressus est ibique obvios habuit reverendos dominum Paulum Zuccalmaglio, rectorem eius ecclesiae parochialis, deinde milites ordinantiarum eiusdem loci ac demum universum populum et clerum ordine processionis incedentem, a quibus omnibus quanta illaritate et obsequio eorum pastorem expectaverint luculentissime omnibus inditiis ostensum fuit. Cum vero prope esset ad aedes parochiales, e rheda descensus [19] processionem praedictam prosecutus est ad aedes ipsas usque – in quibus se se recepit – ac ibidem, depositis itinerariis vestimentis et longioribus episcopalibus indutus, visitationem ecclesiae parochialis Sancti Ioannis Baptistae de Rivolis inceptit.

[A margine: RIVOLE] Consuetis itaque sacris ritibus iuxta pontificale romanum servatis, in ipsam Rivolarum ecclesiam ingressus et augustissimum Eucharistiae sacramentum veneratus, populo de

more benedicto suaque episcopali indulgentia eidem concessa pro defunctis tum in ecclesia tum in coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, preces fudit. His actis, perexit ad visitandum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod – praemissis adoratione, hymno et thurificatione – vidit in pixide argentea in cupa intus inaurata et in pede ex cupro inaurato et in tabernaculo ligneo auro linito sub sera et clavi tute custoditum. Vidit amygdalam argenteam intus inaurata et ostensorium argenteum in sfera sed ex auricalco in pede argento linito. Reverendus huius ecclesiae rector, parendo mandatis, obtulit policeas in edictis huius visitationis requisitas et in fine huius libri positas sub littera C. Statutis temporibus hoc Sacramentum renovari asseruit; sub hac cura animas a communione 300 circiter existere, in totum vero 470, nullumque habere inconfessum. Hoc ipso divino Sacramento processionem fieri in die Corporis Domini [19^v] et in die octava Paschatis; expositionem vero qualibet dominica a die festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis septembris et quidquid impenditur pro huiusmodi functionibus ex piorum elaemosinis colligitur; lampadem ante ipsum ardere, pro qua clerici plebis Caprini subministrant bacetas octo olei annuatim; reverendus rector autem providet de reliqua olei quantitate, prout occurrit ut continuo lampas ipsa ardeat. Dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, in sero dantur signa publicanturque indulgentiae associantibus concessae, pro qua decenti associatione extant suppellectiles prout in polliceis ut supra exhibitis, quae suppellectiles ex earum maiori parte ex piorum elaemosinis comparatae fuerunt; ipsarum autem pars custoditur a societate Sacramenti, de qua infra dicitur; altera vero pars ab alia, de qua itidem infra, sanctissimi Rosarii. Quibus peractis, in aedes parochiales antedictas se se recepit et in eis absque cibo somno se dedit. Die mercurii 22 mensis aprilis 1744. Reverendissimus dominus provicarius generalis summo mane se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci de Paula, infra limites parochialis Rivolarum, de iure nobilium dominorum Balthessaris et fratrum Torri veronensium, heredum quondam nobilis domini Alexandri, huius oratorii aedificatoris, ut in visitatione anni 1710. Eo perventus, sacrum [20] fecit; [a margine: San Francesco di Paola] quo absoluto actisque Deo optimo maximo gratiis, vidit et visitavit unicum altare in eo existens, marmoreum cum portatili et icone depicto, bene tentum. Hoc oratorium erectum et capitali ducatorum centum dotatum fuit anno 1696, ut asseritur in visitatione anni 1718. In hoc altari nullam adesse missarum obligationem assertum fuit, sed in eo celebratur tantum ex devotione a reverendo domino Ioanne Baptista Pachera, sacerdote Caprini. Visitavit sacristiam, retro idem altare rite constructam et in ea vasa et suppellectiles sacras ad sacrificium missae neccessarias, de quibus bene provisum invenit. Quibus absolutis, ad aedes parochiales antedictas reversus est. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in parochialem ecclesiam antedictam descendit et, adorato divino Sacramento sacrisque indutus vestibus, quamplures utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Sacrum subinde fecit eoque absoluto actisque Deo optimo maximo gratiis, nonnullis etiam utriusque sexus christifidelibus sacram Synaxim distribuit. Dimissis sacris vetsibus, sancto doctrinae christianae operi incubuit et, per varias interrogationes per reverendum rectorem de suo mandato factas tam pueris et puellis quam adultis ibidem ad hoc congregatis, cognovit omnes bene edoctos esse circa fidei misteria aliaque ad aeternam salutem neccessaria, ex quo diligentiam ipsius reverendi rectoris caeterorumque [20^v] operariorum comendavit omnesque hortatus est ut in huiusmodi sancti operis exercitio totis viribus perseverent. Oblatos etiam libros huius scholae visitavit, ex quibus ipsam bene regi et gubernari comperuit. His actis, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte signavit. Visitavit successive olea sancta, in vasculis ex stamno et in capsula ex nuce sera et clavi munita in loculo in cornu evangelii altaris maioris sub sera et clavi tute servata. Vidit eadem vascula maiora, in quibus eadem olea sancta recipiuntur a venerabili plebe Caprini; vidit etiam vascula minora, oleorum scilicet Chrismatis et cathecumenorum nec non olei infirmorum, omnia quoque ex stamno. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula iuxta maiorem ianuam ecclesiae positum, rastris ligneis sera et clavi munitis clausum. Vidit et visitavit in loco praedicto baptisterii unum confessionale et alterum in ecclesia subtus suggestum situm. Visitavit altare maius, marmoreum in mensa cum portatili, caeterae eius partes lignae, cuius retro est icon depictus a Ioseph a Curte anno 1652, ut patet ex inscriptione quae

ibidem legitur. Nulla in hoc altari est obligatio missarum, praeter infrascriptas penes societatem subscriptam; in eo tamen reverendus rector celebrat et diebus festis applicat pro populo. Hic extat societas sanctissimi Sacramenti, in praecedentibus visitationibus iam recognita, a qua manutinetur hoc altare ex [21] piorum eleemosinis et habet indulgentias prout in diplomate, de quo in praedictis praecedentibus visitationibus. Eadem societas habet redditus et onera ut in policea exhibita et in fine huius libri posita sub littera C et in tabella posita in sacristia, cuius exemplar in fine huius sub eadem littera. Vidit et observavit sepulchrum, quod est pro sepultura sacerdotum huius loci, effossum esse subter supedaneum huius altaris, ita ut sacerdos celebrans super ipsum, dum sacrum missae sacrificium peragit, insistit; qua propter ordinavit ut vel alio sepulchrum pro sacerdotibus effodiatur et aedificetur, vel altare ipsum ita procul ab ipso removeatur sicuti sacrorum rituum constitutiones praecipunt. Altare sanctissimi Rosarii, de ratione eiusdem societatis, a qua manutinetur, in mensa marmoreum cum portatili et icone depicto. Haec societas habet redditus et onera ut in policea exhibita et in fine huius libri sub littera C posita, canonice erecta, ut fuit recognitum in praecedentibus visitationibus et administratores eiusdem societatis exequi sunt decretum visitationis anni 1710, curando ut legatum salis exigibile reddatur, prout ad praesens exigunt quotannis, pro eo legato pro capitali ducatorum centum, fructum in ratione quinque cum dimidio, a Ioanne Baptista Tessari quondam alterius Ioannis Baptistae de Incanale, prout constat ex instrumento emptionis cum locatione diei 4 septembris 1738 in actis domini Servatoris Bernardi notarii, exhibito, viso et restituto. [21^v] Oneribus autem adimpletur per reverendum rectorem. Altare sancti Georgii, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum, cum icone depicto, de iure familiae domini Francisci Calciolari, a qua integre manutinetur. In hoc altari est obligatio missarum decem et octo, ut in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram C, pro quibus dominus rector exigit a patronis huius altaris stipem in rationem duorum tronorum pro quaque missa quae celebratur in die sancti Georgii, pro aliis autem in ratione triginta solidorum. Altare beatae Virginis a Regio nuncupatae, marmoreum cum portatili et icone depicto, erectum iam ut describitur in praecedentibus postremis visitationibus et in policea ut supra exhibita, quod olim erat de ratione Venturae Bertarini, nunc vero nullius iuripatronatui subest, sed manutinetur piorum eleemosinis et communitas huius loci eligit gubernatorem istius altaris et administratorem eleemosinarum, qui modo est Petrus Corazina et reddit rationem duobus consiliariis deputatis ab ipsa communitate coram reverendo rectore huius ecclesiae. Vidit in ecclesia imaginem beatae Virginis Mariae, ex ligno sculptam et ornato, in loculo positam, ab hominibus huius loci decenter servatam, quae occasione processionum circumfertur. Vidit suggestum in quo, si quando conciones haberi occurrit, reverendus rector eligit concionatorem, qui munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali. Visitavit sacristiam ibique vasa et suppellectiles sacras, [22] de quibus in policeis ut ante exhibitis et in fine huius libri positis sub littera C, in armario ligneo servata, de quibus sufficienter provisum invenit; vidit etiam campanile, in quo duo sunt campanae. Quibus habitis, in aedes parochiales antedictas receptus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocatae, comparuerunt: Rosa Berti, uxor Ioannis Baptistae Veronese, Appollonia uxor Iacobi Fraporti et Margarita uxor Antonii Cappelletto, omnes obstetrices huius loci, quae examinatae circa baptismi administrationem in casibus necessitatis, sufficienter se instructas exhibuerunt. Sumptis propterea a fide dignis informationibus circa vitam, mores et diligentiam reverendi rectoris et de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium, de omnibus bene relatum fuit. Venit subinde admodum reverendus Paulus Zuccalmaleo rector huius ecclesiae, quam obtinuit per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini anno 1733, ut ex bullis apostolicis et mandato executivo huius curiae, quas ostendit; obtulit libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos vidit et visitavit. Interrogatus postea de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hac sua paroecia degentium et an ibidem adsint publici peccatores, de omnibus bene retulit nullumque - [22^v] Deo dante – adesse publicum peccatorem fassus est. Comparuit reverendus dominus Gabriel Colpani, sed illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus sibi resservavit observare eius mandata in visitatione plebis Caprini, quo in loco domicilium habet. Clericus Bartholomaeus

Zuccalmaleo, subdiaconus annorum 23 circiter. Hisce absolutis, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 22 aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul antedictus praefatam parochialem ecclesiam adiit eamque de parte in partem visitavit, quae non est consecrata, alias Nativitati, nunc Decolationi sancti Ioannis Baptistae dicata factisque infrascriptis ordinationibus, cum recitatione psalmi *De Profundis*, ipsius ecclesiae, cleri et populi Rivolarum visitationem in Domino clausit et absolvit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur illarumque cineres per coemeterium ipsum spargantur et semper abrasae teneantur – clavis tabernaculi fiat argentea, vel saltem inaretur – pes ostensorii item auro liniatur – reverendus rector communicatis in Paschate schedas distribuat et subinde colligat – renoventur vasa oleorum Chrismatis et catechumenorum et rite confecta comparentur, ad normam et in executionem [23] etiam ordinationum visitationis anni 1718 – exequantur ordinationes in praecedentibus visitationibus factae de dividendo fonte baptismali ut in iisdem – in apice ciborii ponatur imago sancti Ioannis Baptistae in ligno sculpta et rimae eiusdem ciborii conectantur – comparetur conopeus super ipsum ciborium ex serico vel saltem ex panno medii serici, ita tamen ut idem conopeus descendat subter ipsum ciborium et tegat idem et fontem ipsum – prohibuit ne deinceps servetur in loco baptisterii confessionale et confessiones ibidem audiantur, sub pena suspensionis sacerdotibus quatenus non obedierint – removeantur a confessionali quod est subter suggestum crates quae nunc existunt et novae cum foraminibus minutioribus ponantur termino unius mensis, aliter sit suspensum – portatile altaris beatae Virginis a Rosario provideatur de tela cerata qua cooperiatur et idem altare provideatur de umbella qua altare ipsum et sacerdos celebrans contegantur – provideatur de tela cerata portatilia altarium sancti Georgii et beatae Virginis a Regio, qua cooperiantur – patena pro calice beatae Virginis a Regio retro inaretur vel saltem argento liniatur – missalia romana sarciantur et comparetur pluviale violacei coloris - [23^v] apponatur nova tabella in sacristia pro praeparatione ad missam – continuo in ea adsit manutergium pro manibus abstergendis – ante ingressum e sacristia in ecclesiam ponatur labellum pro aqua benedicta – in libro baptizatorum et in qualibet partita baptismatis exponatur hora nativitatis – in libro status animarum describatur aetas cuiuscumque parochiani et status eius communionis, confirmationis, prout cuique convenit.

Completa visitatione parochialis ecclesiae Rivolarum, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, rheda sua una cum reverendissimo domino provicario suo generali, coerectionum magistro meque visitationis notario consensa caeterisque suis familiaribus subsequutus, ad visitandam illam Incanalis iter arripuit. Ad fines Rivolarum a reverendo rectore, principalioribus et hominibus ipsius loci de Rivolis gratiarum actionis et devenerationis argumenta recepit. Iisque finibus transactis, a populo Incanalis fuit tormentorum bellicorum frequenti explosione salutatus ibique praesto fuit admodum reverendus dominus Angelus Avanzi, ipsius ecclesiae rector, a quo deveneratus iter suum prosecutus est. Non procul a parochiali obvium habuit clerum et populum ipsius loci Incanalis, processionaliter incedentem et divinas laudes decantantem eoque praeeunte ad aedes quas ipse rector Incanalis inhabitat pervenit, in quibus receptus paulisper quievit.

[24] [A margine: INCANAL] Longioribus episcopalibus vestibus indutus, ad fores aedium parochialium venit, in quibus sub baldachino, a quatuor gravioribus viris ad id scelectis gestato, receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi a reverendo rectore porrectam adoratus et deosculatus est. Ad ecclesiam processionaliter perexit, in cuius ianua aspergillo accepto se signavit, populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante divinum Sacramentum stratus, oravit decantatisque interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Thronum subinde ascendit, in quo violacei coloris paramentis sumptis, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio, quod etiam visitavit, persolvit. Dimissis violaceis albisque vestibus sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod servatur in tabernaculo ligneo et positum in pixide, cuius cupa est argentea intus inaurata, reliquae eius partes cupreae inauratae, sub sera et clavi. Sub hac cura sunt animae a

communione 114, in totum vero 172. Reverendus rector obtulit policeas in edictis huius visitationis requisitas, quas ego notarius recepi et in fine huius libri posui sub littera D. Vidit amigdalam argenteam intus inauratam pro deferendo [24^v] eodem Sacramento infirmis distantibus. Vidit etiam ostensorium radiatum argenteum in sfera, in pede ex auricalco argento linito. Ex perquisitionibus factis, habuit statutis temporibus hoc Sacramentum renovari; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, in sero dari signa et indulgentias associantibus concessas publicari, pro cuius decenti associatione extant suppellectiles, quas vidit et de quibus in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram D; processionem fieri hoc ipso Sacramento in die Corporis Domini nec non ipsius expositionem in sextis feriis martii et quaque die dominica a festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis septembris impensis huius communitatis, a qua etiam manentur cerae et oleum pro lampade, quam semper ante idem Sacramentum ardere asseruit idem reverendus rector. Schedae in Paschate communicatis distribuuntur ac subinde per reverendum rectorem colliguntur nullumque habere inconfessum fassus est. Populo hoc ipso Sacramento benedixit eoque in tabernaculo reposito, visitavit olea sancta et vidit vascula maiora quibus illa recipiuntur a plebe Caprini, matrice huius ecclesiae, cui huius rector in die sabbathi sancti tenetur inservire, prout inservit, in conficiendo sacro fonte, quae vascula posita sunt [25] in capsula ex nuce sine sera et in loculo in cornu evangelii altaris maioris, sera et clavi clauso. Vidit vascula minora, oleorum scilicet Chrismatis et cathecumenorum, rite elaborata nec non vasculum olei infirmorum, positum in capsula lignea, quae servatur in bursa fracida, quae vascula sunt omnia ex stamno. Visitavit subinde fontem baptismalem, iuxta ianuam maiorem ecclesiae situm, rastris ligneis circumseptum. Vidit etiam confessionale, in quo observavit crates ligneas cum foraminibus admodum amplis. Visitavit denique sacras reliquias, nempe ex praecordiis et ex tela imbuta sanguine sancti Philippi Nerii, in theca argentea, unico crystallo munita, cum sigillo et litteris huius curiae diei 29 novembris 1740, quas recognovit et reposuit in custodia lignea, quae existit in altari beatae Virginis Mariae a Rosario. Hisce peractis, in aedes antedictas receptus, quieti se tradidit et incoenatus pernoctavit. Die iovis 23 mensis aprilis 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam parochialem antedictam adiit adoratoque in ea divino Sacramento ac pia emissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium celebravit; quo absoluto, quampluribus utriusque sexus christifidelibus sacram Synaxim ministravit. Posthaec sancto doctrinae christianae operi incubuit et per varias interrogationes factas pueris et puellis, iam ad hoc congregatis, [25^v] circa mysteria fidei aliaque ad aeternam salutem neccessaria illosque sufficienter instructos esse cognovit. Habuit etiam ex factis interrogationibus hoc sanctum opus regi et gubernari iuxta regulas congregationis doctrinae christianae habereque priorem et reliquos officiales, qui in hoc opere se exercent, quos – prout etiam ipsum reverendum rectorem – hortatus est ut diligentius in huiusmodi sancti operis exercitio magis magisque in dies attendant atque perseverent. Quamplures subinde utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte signavit. His actis, visitavit altare maius, marmoreum in mensa super murum constructa, cum portatili et icone ac antipectile ex chorio, in reliquis ligneum, de iure communitatis huius loci, a qua de omnibus manentur. Retro idem altare vidit locum qui est subtus ipsum altare quique clauditur valvis ligneis, sed haec carent sera. In hoc altari non est obligatio missarum; ibidem tamen reverendus rector celebrat et diebus festis applicat pro populo. Adest in hoc altari societas sanctissimi Sacramenti, quae nullos habet redditus, sed ex piorum eleemosynis manentur. Sanctus Gelmeti ostendit librum in quo describuntur nomina confratrum, sec haec societas caret officialibus omnibus et ipse Gelmettus ex sua pietate res eiusdem societatis administrandas suscepit; quapropter illustrissimus et reverendissimus praesul monuit confratres ibidem praesentes ut se se congregent et eligant [26] officiales ad normam institutionis societatis eiusdem. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa cum portatili et icone, in reliquis ex muro constructum, quod est de ratione societatis eiusdem Rosarii, quae recognita fuit canonice erecta in visitatione anni 1718. Haec ipsa societas nullos habet redditus neque onera. Hoc altare dotatum est ex legato quondam Ioannis de Ferrarinis, ut in postrema visitatione descriptum fuit, cui legato obnoxia est pars domus in qua modo inhabitat reverendus rector et hortus eidem contiguus habetque onus idem rector celebrandi sex missas in

anno in hoc ipso altari. Cum vero compertum esset non servari ordinem a confratribus huius societatis in eligendo massario et officiales eiusdem, illos monuit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ut quamprimum se se congregent et eligant massarium et officiales praedictos, ad hoc ut ordo societatis rite institutus servetur. Altare beatae Virginis Mariae Gratiarum, cum portatili et icone depicto ac imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, marmoreum, de iure communitatis, a qua manutenetur. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Aliae in hac ecclesia sunt obligationes missarum, cum suis redditibus, quae describuntur in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram D, inter quas est officatura ex legato quondam dominae Iuliae Gione Monti, missarum celebrandarum unius quacumque die dominica et modo illas celebrat reverendus dominus Ioannes Baptista Facchinetti [26^v] de Pazzono et accipit stipem a domino Marco Antonio Rosa Morando duorum tronorum pro quaque missa, a quo eligitur utpote donatarius eiusdem dominae Iuliae Monti, cum onere praedicto. Ipse reverendus dominus Ioannes Baptista Facchinetti celebrat etiam aliis diebus festis et accipit stipem a communitate, a qua ad id electus fuit, quae communitas ex sua devotione has missas celebrari facit. Visitavit sacristiam, in cornu epistolae altaris maioris positam, in qua vidit vasa et suppellectiles sacras, quae descripta sunt in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram D. Vidit denique et visitavit totam ecclesiam, quae non est consecrata, santo Lucae evangelistae dicata, de iure patronatus eligendi et praesentandi parochum huius communitatis, qui tamen, servatis servandis, instituitur et confirmatur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo veronensi. Visitavit etiam campanile, in quo duo sunt campanae. His actis et egressus ex ecclesia et e coemeterio, vidit domum parochialem fere dirutam, ubi numquam parochus habitavit, cui parochus communitas praestare tenetur ducatos tres annuatim donec reaedificetur eadem domus pro ipso, ex decreto emanato in visitatione anni 1710, prout exequutum fuit multos post annos ab ipsa visitatione, sed parochus deinde usque in praesens remisit eidem communitati hanc praestationem sibi faciendam sine praeiudicio et cetera, ad hoc ut succurratur neccessitati ecclesiae. Posthaec descendit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Zenonis, intra limites parochialis de Incanale, quod suspensum [27] [a margine: San Zenone] a suis praedecessoribus iam fuit et ut suspensum maneat decretum viditque, in ipsum ingressus, illud omnibus neccessariis esse destitutum nihilque superesse nisi mensam altaris et parietes ac tectum ipsius oratorii, quae tamen omnia non male servata sunt; quapropter vocavit ad se homines huius communitatis illisque proposuit ut deliberent aut ipsum oratorium providere de neccessariis, aut, si secus faciant, decernet oratorium ipsum destruendum esse, praesertim cum in eo observaverit collocatas res fuisse quae non decent sacrum locum sed prophanum cubiculum. [A margine. Die 10 aprilis 1747 concessa fuit facultas celebrandi in hoc oratorio, ut in fillo ecclesiarum currentis anni] Qua intentione illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus intellecta, homines ipsi ibidem praesentes humiliter supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut dignetur suspendere decretum suum de prophanando et demoliendo hoc oratorium, promittentes curam omnem habituros ut istud oratorium iterum ita provideatur ut in eo divinus cultus celebrari possit, quod tamen exposuerunt statim id a se fieri non posse, stante eorum paupertate et obligatione quam habent manutenendi ecclesiam parochialem. Quibus auditis, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus eorum pietatem laudaverit et hortatus fuerit ut quod promiserunt exequantur, suadendo etiam ipsum reverendum rectorem ut adiutrices manus praebeat ad perficiendum hoc ipsum opus, a quo cum audisset paratum se esse ad id, quin immo suo exemplo effecturum ut ex suo populo maiores eleemosynae colligantur, ut eorum piis votis indulgeat et servetur debitus honor protectori sanctissimo huius [27^v] diaecesis, cui hoc oratorium dicatum fuit, decrevit ut pro nunc idem oratorium in sua suspensione maneat concessitque eisdem hominibus spacium quatuor annorum ad exequendum id quod promiserunt, quo spacio elapso, si ipsum oratorium aptum non reddiderint ad divina officia in eo celebranda, decrevit ut prophanetur et diruatur et ita et cetera, omni et cetera. Quibus peractis, in aedes antedictas receptus, prandium sumpsit. Die antedicta 23 aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in aedibus sepe dictis, una cum reverendissimo domino provicario suo generali,

pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt principaliores huius communitatis, a quibus cum illustrissimus et reverendissimus praesul postulasset informationes super vita, moribus et officio reverendi rectoris huius ecclesiae, ab iisdem responsum fuit quoad officium, id omne praestare quod pro sua longeva aetate sibi licet; quoad eius vitam et mores, iisdem non licere nisi venerari suum parochum, a quo sacramenta recipiunt; cupere tamen ut, cum ipsi admodum pauperes sint, praedictus eorum reverendus rector aliquo modo pro sua charitate ipsos iuvet in substinendo gravi oere manutentionis parochialis ecclesiae. Interrogati vero circa populum huius parociae num sint peccatores publici, dissidentes, scandalosi vel aliqui huiusmodi, responderunt – Deo miserente – nullos huiusmodi esse homines. Comparuit subinde vocatus reverendus dominus Angelus Avanzi, rector huius beneficii, quod obtinuit anno 1709 uti praesentatus ab hac [28] communitate ac institutus et confirmatus ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, ut ex bullis episcopalibus die 16 martii 1709, quas ostendit et obtulit etiam libros huius ecclesiae parochialis, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos vidit et visitavit ac subinde idem reverendus rector fuit canonice admonitus ut in actis criminalibus huius officii. Successive comparuit vocata Dominica relicta quondam Antonii Gelmetti, obstetrix huius loci quae, examinata circa administrationem baptismatis in casibus neccessitatis, optime se instructam esse ostendit. Hisce habitis, in ecclesiam parochialem antedictam descendit et, adorato ibidem divino Sacramento factisque infrascriptis ordinationibus, pro defunctis oravit ac ipsius parochialis Incanalis visitationem in nomine Christi explevit. Ordinata. Murus cingens coemeterium perficiatur in ea parte ubi est perficiendus, reliqui vero muri ipsius coemeterii restaurentur ubi indigent restauratione et ante ianuam per quam ingreditur in ipsum coemeterium excavetur fovea super quam crates vel ligna vel ferrea vel lapidea ponatur, ad hoc ut animalibus non pateat additus – ianua tabernaculi restauretur ita ut tute claudi possit et ipsa ianua intus ornetur panno serico albo – clavis ipsius tabernaculi inauretur – amygdala ita restauretur ut quoties est clausa ex se non aperiatur et pro eadem amygdala nova bursa ex serico albo provideatur, [28^v] quae sit decenti modo constructa – pes ostensorii iterum argento liniatur – provideatur de fanali maiori qui precedat in processionibus – velum superhumerali sarciatur – aptetur sera capsulae oleorum sanctorum, ad hoc ut tute sit clausa – provideatur de bursa ex panno serico violacei coloris pro vasculo olei infirmorum – locus oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violacei coloris et super illius ianua inscribantur haec verba *Olea Sancta* – rima quae est in ciborio fontis baptismalis in ea parte in qua ipse clauditur obturetur, ita ut pulvis in ipsum non decidat – exequantur ordinationes factae in visitatione anni 1718 de colorando ciborio fontis, de ampliori conopeo providendo, de sera cum clavi apponenda cancellis ligneis qui sunt circum ipsum fontem – intra spacium unius mensis confessionale muniatur cratibus lateis cum foraminibus parvulis; aliter, eodem mense elapso et praesenti decreto non parito, confessionale ipsum sit suspensum – provideatur de tela per dimidium ecclesiae extendenda tempore doctrinae christianae, cuius medio aspectus feminarum viris impediatur – portatile altaris maioris provideatur de tela cerata qua [29] cooperiatur illiusque rimulae obturentur – exequatur ordinatio in visitatione anni 1718 de providenda figura Resurrectionis, in apice tabernaculi ponenda tempore paschali – valvis ligneis quae sunt retro altare maius et subtus idem aptetur sera, ut clausae semper sint – rimae circum portatile altaris beatae Virginis Mariae a Rosario obturentur et tela cerata cooperiatur – portatile altaris beatae Virginis Mariae Gratiarum cooperiatur tela cerata ac eius rimulae obturentur – alteri ex missalibus addantur missae recentiores sanctorum – provideatur de paramento nigri coloris – in libro status animarum addatur cuicumque nomini aetas et indicium quo dignoscatur an confirmatus fuerit an non.

Expleta visitatione parochialis ecclesiae de Incanale receptisque a reverendo rectore et hominibus ipsius loci gratiarum actionis et humilitatis argumentis, rhedam suam, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, caeremoniarum magistro et me notario, conscendit, stipatus a suis familiaribus et a quamplurimis praedicti loci Incanalis, iter suum Pazonum versus direxit. Ad confinia perventus, praesto ei fuerunt admodum reverendus dominus Ioannes Baptista Facchinetti, rector Pazoni, cum nonnullis suis sacerdotibus et consiliariis eiusdem communitatis, una cum

cohorte militum ordinantiarum, a quibus omnibus letitiae et devenerationis signa [29^v] recepit salutatusque frequenti tormentorum bellicorum explosione iisque militibus praesentibus et subsequentibus, iter prosecutus est. Non procul a parochiali Pazzoni, processionaliter habuit pueros et puellas doctrinae christianae, confratres societatum in eadem ecclesia existentium, clero et populo loci ipsius divinas laudes decantantes ibidemque e rheda descensus et sub baldachino receptus, ad aedes parochiales perexit, in quibus receptus quieti se dedit et paulo post absque cibo obdormivit.

[A margine: PAZZON] Die veneris 24 mensis aprilis 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, omnibus iam in ecclesia dispositis ad portas aedium parochialium venit ibique, sub baldachino a sex consiliariis communitalis Pazzoni praedicti gestato receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, oblatam sibi crucem a reverendo rectore pluviali induto adoratus et deosculatus est, clero et populo praecedente et solita decantante, processionaliter parochialem ecclesiam adivit, in cuius ingressu frequentem populum, aspergillo accepto a praedicto reverendo rectore, aqua lustrali aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum adoravit decantatisque de more decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam impertitus est. Ad thronum sibi paratum venit sumptisque apparamentis violacei coloris, pro defunctis tum in [30] ecclesia tum in coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, preces fudit. Violaceis subinde apparamentis exutus albisque sumptis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit augustissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea intus inaurata, et in tabernaculo marmoreo cuius ianua est argentea, sub sera et clavi itidem argentea custoditum. Interrogatus reverendus rector respondit hoc Sacramentum debitis temporibus renovare, sub hac cura habere animas a communione 907, in totum vero 1280, inter quos nullum praeceptis ecclesiae innobedientem existere. Dum ad infirmos deferendum est, in sero, data oportunitate, dari signa et indulgentias associantibus concessas publicari. Communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi. Lampadem ante hoc Sacramentum continuo ardere, quae ut ardeat reverendi clerici plebis Caprini provident et praestant octo bacetas olei. Communitas autem providet de cereis. In die Corporis Christi fieri processionem cum hoc Sacramento et communitas, cum societatibus huius ecclesiae universoque populo, concurrunt ad impensas neccessarias. Aliam fieri processionem huiusmodi in die octava eiusdem solemnitatis et communitas ipsa cum populo ad id concurrunt. Expositionem eiusdem divini Sacramenti fieri expensis communitalis in solemnitate praedicta Corporis Domini et eius octava, singula quaque sexta feria Quadragesimae et singula [30^v] die dominica a sancta Cruce mensis maii, usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris et singula dominica tertia cuiusque mensis. Aliquando etiam pro populi pietate et devotione, ipso suis eleemosynis concurrente, fieri expositiones huiusmodi, sed praesertim in prima et ultima die cuiusque anni. Vidit ostensorium radiatum argenteum et amigdalam argenteam intus inauratam, rite instructam. Dum defertur ad infirmos hoc Sacramentum, decenti forma et decentibus suppellectilibus ritus iste peragitur, quas suppellectiles cum ex pietate communitalis, tum ex populi eleemosynis reverendus rector comparavit easque servat prout sunt descripta in policea, quam una cum aliis, parendo edictis praesentis visitationis, obtulit, in fine huius libri posita sub littera E. Populo subinde eodem divino Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento in suo tabernaculo sumptisque sacerdotalibus apparamentis eidemque inservientibus dalmaticis indutis admodum reverendis dominis Paulo ab Oleo archipraesbytero parochialis Arbitiani et Bernardo Ermenegildo Bernardi rectore parochialis Domus David, sacrum fecit et quampluribus utriusque sexus christifidelibus sacram Eucharistiam distribuit. Porro visitavit olea sancta viditque eorum vascula maiora ex stamno confecta, posita in capsula ex nuce, sera et clavi munita, in quibus vasculis eadem olea sancta recipiuntur a plebe Caprini. [31] Vidit et visitavit olea Chrismatis et cathecumenorum, quae sunt in vasibus argenteis nec non oleum infirmorum, positum in vase itidem argenteo et in bursa serica auro intexta, omnia rite et eleganti forma servata; custodiuntur eadem olea sancta in eorum custodia posita in cornu evangelii altaris maioris, tuta sera clausa. Vidit fontem baptismalem, iuxta ianuam maiorem ecclesiae situm, cancellis ligneis circumseptum, sera et clavi

tute munitum. Tria vidit confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis utriusque sexus christifidelium sacramentalibus confessionibus. Pontificalibus deinde indutus, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte perunxit. Quibus habitis, visitavit altare maius, marmoreum in mensa et gradibus eiusque omnes caeterae partes lignae, cum portatili, de iure communitatis huius loci, a qua manutenetur, quod de omnibus necessariis satis decenter et ornate instructum est. Nulla in hoc altari est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione et reverendus rector diebus festis applicat pro populo. Huic altari adnexa est societas sanctissimi Sacramenti, olim iam erecta, ut patet etiam ex visitationibus antecedentibus, quae habet redditus librarum 183.6, ut in pollicea exhibita ab Antonio Conter, massario eiusdem et ab ipso subscripta, in fine huius libri posita ad litteram E et onera ut in eadem pollicea ad [31^v] summam librarum 95.10, sed praeter hanc quantitatem onerum, cum ex tabella posita in sacristia appareat ipsam teneri ad tres missas celebrari faciendas pro legato quondam Thomae Marucci, quod etiam probatur ex eius testamento diei 9 martii 1682 in actis domini Ioannis Tomasini notarii, in quo reliquit iure legati societatibus Corporis Christi et beatae Virginis Mariae capitale pro quo Innocens Zaninelli Ferrariae montis Baldi tenebatur solvere quot annis minalia duo frumenti et tronos 9.6 marculorum, ad hoc ut singulae societates praedictae tenerentur quot annis celebrari facere tres missas in perpetuum iuxta suam intentionem. Hae societates – ut fuit assertum – exigunt modo ipsum redditum ex capitali ut supra relicto a Dominico Lucchini dicto Marucco quondam Thomae de Praga Pazzoni; cumque reggentes onus istud omiserint, eo quod monumenta eiusdem societatis ab hesterorum invasione depredata fuerunt, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, certioratus de obligatione praedicta trium missarum, eos monuit ad illud exequendum et ad supplendum pro viribus societatis et iuxta iudicium reverendi domini rectoris pro praeterita ommissione, sibi resservans ad decernendum quidquid et cetera, cum ex authenticis documentis sibi constiterit de obligatione aliarum missarum descriptarum in tabella posita in sacristia. Inter onera in illa pollicea descripta est illud missarum quindecim, pro quo societas praedicta exigit redditum tronorum 33.15.6, ex quibus impendit tronos 22.10 pro praedictis missis; id vero [32] quod superest cedit beneficio societatis. Haec obligatio societatis praedictae instituta fuit a quondam Dominico et Magdalena fratribus, filiis quondam Bartholomaei Silvestrelli de Porcino Caprini, qui in eorum testamento diei 4 martii 1712 in actis domini Antonii Scala notarii, exhibito, viso et restituto, se invicem heredes instituerunt, cum conditione quod, si morerentur utrique sine filiis legitimis et de legitimo matrimonio natis et procreatis, eorum hereditas cederet beneficio societatis praedictae sanctissimi Sacramenti pro medietate, pro altera autem medietate beneficio societatis beatae Virginis Mariae huius ecclesiae, cum onere utrique societati impendendi duas tertias partes reddituum respectivorum pro faciendis celebrari tot missas in hac ecclesia in suffragium eorumdem animarum et suorum defunctorum; tertiam autem partem assignaverunt dispositioni liberae dictorum reggentium, detractis tamen gravaminibus existentibus super eorum haereditatem. Verum, mortuo praedicto Dominico Silvestrelli, cum – ut exposuit praenominatus Conter, massarius societatis Santissimi – Magdalena superstes aliud testamentum condidisset in actis praedicti Antonii Scala notarii sub die 18 februarii 1719, quo instituit haeredem suorum bonorum Carolum Farinoni, virum suum, post eius mortem Carolus iste adiit haereditatem, ex quo tantummodo pars antedicti Dominici Silvestrelli cessit beneficio societatum praedictarum, unde, factis iuridice divisionibus sub die 16 aprili 1738 in actis domini Ioannis Baptistae Scala notarii et venditis iuxta leges bonis [32^v] haereditatis praedicti Dominici Silvestrelli confectum fuit capitale ducatorum centum nonaginta octo de grossis troni unius marculorum quatuor et investitum a reggentibus praedictarum societatum in bonis praedicti Caroli Farinoni in ratione quinque cum dimidio pro centenariis, ut constat ex instrumnto venditionis diei 23 novembris 1738 in actis praedicti domini Ioannis Baptistae Scala notarii, pro quo capitali antedictus Farinoni solvit tronos 33.15.6 unicuique societati et utraque societas exequitur onus impositum. Societas haec ipsa concurrit – ut superius declaratum fuit – tam pro ornamento huius altaris quam pro suppellectilibus pro cultu sanctissimi Sacramenti. Retro ipsum altare vidit et visitavit chorum sufficientis structurae, bene tentum. Visitavit altare beatae Virginis Mariae seu Rosarii, marmorum in omni eius parte, super cuius gradus, positos supra

mensam, est imago ex ligno sculpta eiusdem beatæ Virginis Mariæ, quæ servatur in loculo ibidem sub crystallis, supra quam assurgit icon depictus et altare habet portatile. Altare hoc est privilegiatum pro confratribus et consorioribus Rosarii in die Commemorationis defunctorum, eius octava ac singula quaque die sabbathi, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 17 septembris 1739, in hac curia viso die 5 ianuarii 1740. In hoc altari duæ sunt societates, quarum prima in visitatione 1710 dicitur antiquitus erecta, cuius erectionis memoria non extat, sub titulo beatæ Mariæ Virginis; alterius autem in eadem visitatione [33] describitur tempus erectionis, quæ ideo ibidem recognitæ fuerunt sub titulo beatæ Virginis a Rosario. De iure harum societatum est hoc altare, quod ab illis manuteneretur habentque redditus tronorum 222.0.6, ut in pollicea exhibita a Francisco Scala, massario earumdem societatum et solvunt reverendo rectori tronos triginta pro missis viginti, quæ celebrari faciunt annuatim pro earum obligationibus adimplendis, quarum tamen obligationum originem et institutum reggentes ipsarum societatum omnino ignorare asseruerunt, sed illas ex consuetudine adimplent. Praeter hunc numerum missarum, celebrari faciunt alias quindecim missas iuxta intentionem et dispositionem Dominici Silvestrelli, quæ dispositio superius descripta fuit in visitatione societatis sanctissimi Sacramenti. Quamvis nullum documentum ex quo dignoscatur obligatio praedictarum missarum viginti, habere reggentes huius societatis asseruerint, constat tamen ex testamento Thomæ Marucci, descripto in visitatione societatis Corporis Christi praelaudatæ, illam teneri ad tres missas celebrari faciendas iuxta intentionem et voluntatem ipsius testatoris. Quapropter illustrissimus et reverendissimus praesul monuit reggentes eiusdem societatis ut omnem diligentiam adhibeant ad recuperanda documenta ex quibus cognoscantur obligationes praece sue societatis, ut piis christifidelium voluntatibus satisfiat, sibi resservans quatenus et cetera decernere [33^v] quidquid et cetera et ita et cetera. Altare sanctorum Antonii patavini et Defendentis martyris, marmoreum in mensa cum portatili et antipectile depicto, ceterae autem eius partes ex muro sunt eleganter constructae et in eo est icon depictus. Hoc altare est de iure huius communitatis, a qua de omnibus manuteneretur. Huic altari assignata fuit una petia terrae a quondam Hieronymo, filio quondam Ioannis Baptistae Facchinetti, cum instrumento assignationis et cessionis diei 11 augusti 1678 in actis domini Ioannis de Tomasini notarii, exhibito a reverendo domino Ioanne Baptista Fachinetti, descendente ab ipsomet Hieronymo, viso et restituto et cetera, in quo instrumento describitur ipsa petia terrae; pro qua petia terrae conductores eiusdem tenebantur solvere quot annis duas bacetas cum dimidia olei et duos tronos; declaravit suam esse intentionem ut ex eo oleo accensa omnibus diebus festis servaretur lampas ante ipsum altare ac duo illi troni solverentur campanario qui hanc suam intentionem exequeretur, quod onus a se impositum ut communitas huius loci exequi faceret in eodem instrumento cum ipsa convenit ac ibidem constat ab eadem communitate hoc acceptatum fuisse. Haec petia terrae possessa fuit deinde a Ioanne Baptista Facchinetti, filio suprascripti Hieronymi, quo mortuo, filii istius praestant oleum lampadi praedicti altaris et tronos duos [34] campanario et hucusque pia voluntas praedicti Hieronymi exequuta fuit. Visitavit sacristiam, in cornu epistolae altaris maioris sitam et in ea sacra apparamenta et vasa ac utensilia omnia, quæ descripta sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito ad litteram E; eaque omnia vidit et visitavit, servata in armario ex nuce confecto et bene tento cognovitque illa omnia et singula ornatè et religiose perfecta fuisse, ita ut huius communitatis et populi ex iis maxime pietas, ac devotio erga divinum cultum appareat. In hac ecclesia quot annis celebratur officium trium missarum, iuxta legatum quondam Ioannis Iacobi Rossi dicti Simeoni diei 21 martii 1631 in actis domini Iacobi Bernardi notarii, ibidem exhibito, viso et restituto, in quo testamento aggravavit perpetuo suos haeredes ut tenerentur quot annis celebrari facere unum officium funebre trium missarum pro salute eius animae et defunctorum eius familiae; ad praesens Franciscus Rossi de Braga huius loci solvit tronos undecim et marculos duos. Tenetur etiam reverendus rector celebrare missas novem ex legato quondam Hieronymi Donacini seu Filippini, pro quibus missis exigit frumenti minalia duo et quartas duas et tronos novem marculos sex denariorum, vigore testamenti praedicti diei 3 novembris 1530 in actis domini Dantis Volpini notarii, ut constat ex memoria descripta in libro livellariorum facta anno [34^v] 1696 ad paginam 165. Item, ex legato pro quo exigit a nobili familia Cavazzocca

ducatos tres de grossis triginta uno pro quoque, tenetur celebrare unam missam in die sancti Georgii ac vespas mortuorum quacumque die dominica, iis exceptis in quibus aliqua solemnis functio celebratur. Vidit et visitavit in hac ipsa ecclesia et retro altare maius, in tabernaculo ligneo sub sera et clavi servatas, infrascriptas sacras reliquias, scilicet: crus sancti Pii martyris, in arca lignea inaurata cum crystallo in parte anteriori repositum, sigillo et litteris huius curiae diei 10 novembris 1696 munitum, alias etiam in hac ipsa curia sub die prima augusti 1713 recognitum. Ex precordiis sancti Francisci Saverii, in theca argentea dupplici crystallo munita, cum litteris et sigillo huius curiae diei prima martii 1744. Ex ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in theca ex auricalco cum crystallo in anteriori parte, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi bellunensis diei 9 ianuarii 1740, in hac curia recognitam die 27 maii eiusdem anni. Ex sacris ossibus sanctorum Innocentium martyrum, in theca ex auricalco ovalis formae, cum crystallo in parte anteriori, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi theatini diei 6 novembris 1728, in hac curia episcopali recognitam die 5 decembris eiusdem anni. [35] Hisce peractis, ad aedes praedictas se se restituit, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 24 aprilis 1744 post prandium. Congregatis iam per solita signa in parochiali ecclesia pueris et puellis huius loci Pazzoni pro exercitio doctrinae christianae, in eadem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus descendit adoratoque divino Sacramento, praedicto sacro exercitio se praesentem exhibuit ac per varias interrogationes pueris, puellis et adultis per reverendum rectorem factas circa fidei mysteria aliaque ad aeternam salutem neccessaria illos expertus est omnesque bene edoctos esse cognovit; diligentiam atque attentionem tam reverendi rectoris et sacerdotum quam caeterorum operariorum comendavit eosque hortatus est ut in ipso tam neccessario exercitio magis magisque in dies perseverent. Vidit subinde libros sibi oblatos praedictae scholae comperuitque ipsam recte regi et gubernari iuxta regulas generales doctrinae christianae Huic scholae doctrinae christianae a dominis Antonio, reverendo Camillo et Petro fratribus Brasavola donatum fuit capitale ducatorum centum, investitum pro ratione sex pro centenario, medio instrumenti diei 29 martii 1692 in actis domini Darii filii Nicolai Savoni, notarii de Avio, cum onere ut confratres eiusdem teneantur quot annis celebrare facere quatuor missas cum solita eleemosyna eo tempore quo designabitur a reverendis rectoribus pro tempore huius ecclesiae et id quod [35^v] superest de eodem redditu voluerunt praedicti domini donantes ut cederet beneficio eiusdem scholae. Reggentes huius scholae investiverunt hoc ipsum capitale in bonis Michaelis filii Bartholomaei Silvestrelli de Porcino Caprini, imposita eidem obligatione solvendi afflictum in ratione quinque cum dimidio pro centenario, ut constat ex instrumento diei 28 februarii 1698 in actis domini Ioannis Tomasini notarii. Successit in hac obligatione Franciscus Silvestrelli, filius praedicti Michaelis et ad praesens solvit afflictum ut supra; scola vero in omnibus exequitur piam intentionem praedictorum dominorum de Brasavolis. Posthaec quampluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. [A margine: San Pietro] Se contulit subinde ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sanctorum Petri apostoli et Antonii patavini, situm in contrata Padellarum, intra limites Pazzoni praedicti, de iure admodum reverendi Donati Antonii Conradi et fratrum de Brasavolis, filiorum quondam domini equitis Petri Aloysii civium veronensium, erectum anno [manca]. Quo perventus, vidit et visitavit in eo unicum altare marmoreum cum portatili et tribus imaginibus ex marmore sculptis super gradus ipsius altaris, representantibus sanctum Petrum, sanctum Donatum et sanctum Antonium patavinum et cum icone depicto in prospectu chori. Oratorium istud vidit illustrissimus et reverendissimus praesul eleganti arte et non mediocri sumptu a pietate praedictorum eius patronorum constructum, in quo vidit et visitavit etiam omnes suppellectiles, [36] vasa sacra atque utensilia quae ad divinum cultum atque ad sacrificium missae peragendum sunt neccessaria atque omnia religiosa forma et ecclesiastico decore confecta atque instructa cognovit, ut nihil desiderari possit. Supra mensam ipsius altaris est custodia in qua servatur reliquia principis apostolorum, scilicet ex eius ossibus, suo sigillo et litteris munita. Huic oratorio adest indulgentia plenaria, ad septennium concessa die 10 iunii 1741 pro visitantibus ipsum in die festo sanctorum Petri et Pauli cuiuslibet anni, in hac curia recognita die 8 iulii eiusdem anni. Nulla in hoc ipso est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex

devotione patronorum. Quibus absolutis, ad aedes parochiales restitutus, in proprio cubiculo se se recepit et absque cibo obdormivit. Die sabbathi, festo sancti Marci apostoli et evangelistae 25 mensis aprilis 1744. Facto mane, illustrissimus et reverendissimus antistes ecclesiam parochialem antedictam adiit in qua, pia emissa praeparatione, sacrum fecit et frequentissimo populo angelorum Panem propriis manibus praebuit; deinde in throno sedit, auditurum orationem sacram quam e suggesto recitavit admodum reverendus dominus Michael Sasselli, sacerdos theologiae doctor, archipraesbyter venerabilis plebis Sanctae Mariae de Albaretto, qui populo proposuit sacrae visitationis summa beneficia illumque adposite hortatus est ne iisdem abuteretur [36^v] accepta gratia abiiciendo culpasque quas detestatus est iterum committendo. Qua concione peracta, iterum illustrissimus et reverendissimus praesul, sacris indumentis vestitus, Confirmationis sacramentum eidem frequenti populo ministravit. In aedibus parochialibus subinde receptus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: syndicus et consiliarii huius communitatis, qui interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio ministerio reverendi rectoris nec non sacerdotum et clericorum huius loci et an ibidem adsint usurarii, adulteri, scandalosi vel alii publici peccatores, responderunt reverendum rectorem bonis esse vita et moribus praeditum, diligentem in eius ministerio parochiali exercendo; sacerdotes et clericos recte vivere nullumque – Deo dante – publicum peccatorem existere. Venit successive admodum reverendus dominus Ioannes Facchinetti, rector huius beneficii annorum 50, quod possidet ab anno 1725, vigore litterarum apostolicarum et mandati executivi diei 13 augusti eiusdem anni, quas et quod ostendit; obtulit etiam libros huius pareciae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, quos visitavit et bene ac rite instructos esse reperiit; et interrogatus de vita et moribus sacerdotum et clericorum et an in hoc loco sint publici peccatores, sacerdotes et clericos recte vivere nullumque [37] publicum peccatorem existere. Reverendus dominus Michael Coltri, sacerdos annorum 48, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 10 octobris 1743. Reverendus dominus Raphael Bernardi, sacerdos annorum 46, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 26 martii 1744. Reverendus dominus Simon Scalla, sacerdos annorum 41, quem illustrissimus et reverendissimus praesul monuit paternis verbis ut perseveret in ea rescipiscentia de qua testimonium perhibuit reverendus rector huius ecclesiae. Reverendus dominus Ioannes Baptista Facchinetti, sacerdos annorum 34, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 17 decembris 1743. Reverendus dominus Hieronymus Zoara, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Michael Angelus Coltri, sacerdos annorum 25 circiter. Venerandus clericus Dominicus Facchinetti, diaconus annorum 27. Clericus Franciscus Righi annorum 21, in minoribus ordinibus constitutus. Venerandus clericus Ioannes Baptista Facchinetti, subdiaconus aetatis annorum 22 circiter. Felix Bertoldi annorum 22 circiter, in habitu. Qui omnes eorum mandata respective debito obsequio obtulerunt. [37^v] Angelus Gaioni, haeremita deputatus custodiae venerandi oratorii Sancti Michaelis infra limites huius parochialis Pazzoni, vocatus comparuit praesentavitque suas testimoniales ab hac curia relaxatas. Hisce peractis, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 25 aprilis 1744 post prandium. Comparuerunt coram illustrissimo et reverendissimo praesule antedicto, de suo mandato vocatae, Helisabeth uxor Antonii Armani de Vilmezano et Valeria uxor Iosephi Valentinelli, ambo obstetrices huius loci, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis et bene edoctas esse se se ostenderunt. Extant sub hac paroecia aliae duo obstetrices, quarum una est Dominica Marangoni vidua, de contrata Sancti Martini, altera vero est Cattarina uxor Rocchi Scandola, de contrata Mansiorum, quae ob pluviae quantitatem quae continuo decedit, accedere non potuerunt; admodum reverendus rector tamen testatus est ipsas satis peritas esse, ut in casibus neccessitatis sacramentum baptismi possint administrare. Alias quoque mulieres sub hac cura adesse assertum fuit quae obstetricis officium exercent, quamvis approbatae nullo modo fuerint nec unquam examini quoad peritiam administrandi baptismi se se subicere voluerint, quapropter idem illustrissimus et reverendissimus antistes praecepit reverendo rectori ut illas et quascumque alias foeminas quae hoc officium exercere susceperint vel suscipiunt moneat ne illud exercent antequam aptas se se non ostenderint ad idem sacramentum in casu [38] neccessitatis ministrandum;

quin immo illis hoc exercitium omnino interdicat, sibi in casu innobedientiae resservans poenis de iure infligendis contra illas procedere. Descendit subinde in praefatam ecclesiam eamque totam vidit et de parte in partem visitavit, quae non est consecrata, divis Victo et Modesto martyribus dicata viditque in ea suggestum in quo concionatur diebus dominicis et feria quinta cuiuslibet hebdomadae tempore quadragesimali et concionator eligitur ab hac communitate et munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali. Communitas Caprini tribuit eleemosynam ducatorum quadraginta pro duobus concionatoribus, quorum alter conciones habet Caprini, alter Pazzoni, qui tenetur etiam concionari Pesinae, pro qua obligatione communitas Pesinae aliam congruentem eleemosinam eidem concionatori erogat. Cum vero frequentissima pluvia, quae numquam hac die intermisit, impedimento fuerit ne oratoria intra limites huius parochiae visitari possent, illustrissimus et reverendissimus praesul illa visitanda sibi vel reverendissimo domino suo provicario generali resservavit in visitationibus subsequentibus infrascriptarum ecclesiarum et ita et cetera. Visitavit etiam campanile, cum duabus campanis, de ratione communitatis et in quo tertia est minor campana de ratione doctrinae christianae ac demum muros ecclesiae observavit et domum ipsam parochialem vidit et visitavit [38^v] nihilque super his aut ordinandum aut decernendum esse cognovit. Hisce absolutis, in edes parochiales receptus, quieti se tradidit et incoenatus obdormivit. Die dominico 26 mensis aprilis 1744. Summo mane huius diei illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem Pazzoni praedicti descendit ibidemque augustissimo Eucharistiae sacramento devenerato, factis infrascriptis ordinationibus precibusque fuis pro defunctis, in nomine Christi processit ex hac ecclesia et visitationem absolvit. Ordinata. Novum ciborium ex nuce construatur supra fontem, ita tamen ut rimis in aliqua eius parte non aperiatur ipsumque vestiatur conopeo ex panno serico, vel saltem medii serici, violacei et, cum fieri poterit, aedificetur edicula in qua fons ipse rite collocetur. Equum subinde ascendit et populo, per vias et colles diffuso, benedicens praecedentibus loci militibus et clero ac subsequente suo comitatu multisque egregiis viris, iter ad montes Coronae versus arripuit; quibus consensu, ad locum pervenit Spiazzo nuncupatum, ubi extat oratorium Sancti Ioannis Baptistae, de ratione ecclesiae Sancti Vitalis Veronae, qui locus est intra limites parochialis ecclesiae Pazzoni, prout contradicente rectore Ferrariae decretum fuit et definitum a nobili et reverendissimo domino comite Ioanne Petro Porta, provicario generali huius curiae die 5 martii 1732 et confirmatum per sententiam reverendissimi domini vicarii generalis huius episcopatus [39] diei 2 maii eiusdem anni. Vidit ibidem praedictum oratorium, in quo marmora reposita erant dictumque fuit a reverendo domino Carolo Balbi, cappellano primario oratorii infrascripti beatae Virginis Mariae a Corona, numquam ibidem celebrari divinum sacrificium, quin immo audivisse ediculam esse sacram potius quam oratorium. Hoc in loco obvius habuit reverendum dominum cappellanum primarium praedictum aliosque cappellanos eiusdem oratorii beatae Virginis Mariae, a quibus omnia obsequii ac venerationis argumenta suscepit iisque praecedentibus et loco praedicto transacto, a rectore Pazzoni, suo clero et populo plurimae gratiarum actiones amantissimo pastori actae sunt eoque cum sua benedictione dimisso, descendit ad scallas per quas est iter ad oratorium laudatum beatae Virginis Mariae, quibus descensus, perrexit in aedes contiguas eidem oratorio et de ratione eiusdem, ubi in cubiculum sibi paratum ingressus, aliquanto quievit. [A margine: Beata Vergine Maria della Corona] Dimissis brevioribus sumptisque longioribus episcopalibus vestibus, ad oratorium Beatae Virginis Mariae a Corona descendit, in cuius ingressu aspersorio a reverendo cappellano primario oblato accepit, populum aspersit et in idem ingressus fuisque precibus, missam celebravit [a margine: Vide in fine praesentis ad litteram F]. Qua absoluta, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea intus inaurata et in tabernaculo marmoreo sub ianua et clavi argenteis rite et tute custoditum. Interrogatus reverendus dominus Carolus Balbi, primarius cappellanus huius [39^v] ecclesiae, hoc Sacramentum frequenter renovari iuxta canonicas sanctiones, quod administrat advenientibus, voti et religionis causa, ad hoc oratorium et lampadem continuo ardere ante idem Sacramentum testatus est. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit et quamplures eodem eucharistico Pane refecit. Hoc sacramentum Eucharistiae servatur in altari maiori huius oratorii, ex marmore perpolita et eleganti forma constructo, cui nihil deest quod illi aut

ornamento aut ritu deceat. Reposito divino Sacramento, nonnullos utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte signavit. His actis gratisque summo Deo pro sacrificio illi oblato habitis, visitavit quatuor confessionaria quae sunt in ipso oratorio quaeque rite perfecta esse vidit nihilque illis deesse comperuit quod a sacris ritibus desideretur. In hoc ipso oratorio alia sunt duo altaria, unum beato Ioanni Baptistae praecursori dicatum, alterum misterio Annunciationis beatae Virginis Mariae, quae ornate riteque instructa vidit. Totam etiam ecclesiam vidit, circum quam plurimae tabellae et inter eas non paucae argenteae pendent, quas voti causa fideles obtulerunt in memoriam gratiarum quas a misere Servatoris nostri Matre impetrati sunt. Posthaec ante sacram imaginem genuflexus et orans, sacrum audivit. Sacro expleto, sacristiam adiit, in qua vidit exposita apparamenta [40] et vasa sacra ad divinum sacrificium neccessaria, quae a pietate fidelium beatae Mariae Virgini donata fuerunt eaque ob eorum ornamentum ac multipliciter admiratus est. Inter ea vidit et visitavit ostensorium argenteum, rite confectum, quo exponitur divinum Sacramentum aliquando, ex piorum devotione. Reverendus dominus Carolus Balbi, primarius cappellanus, in eodem loco ostendit illustrissimo et reverendissimo praesuli vas olei infirmorum, quod servat ibidem in armario et subiunxit suam esse intentionem illud collocare in oratorio in pariete in cornu evangelii; quod cum vidisset et audivisset, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus interrogavit qua facultate hoc sacramentum in isto oratorio servatur et quibus administratur, cum praesertim in postrema visitatione anni 1710 nulla de illo facta fuerit mentio; quibus respondit praefatus reverendus Balbi quoad facultatem nihil posse asserere; quoad vero administrationem, illud ministrari habitantibus continuo in aedibus quae sunt contiguae huic oratorio; qua propter supplicavit humilime ut dominatio sua illustrissima et reverendissima dignetur hoc ipsum sacramentum hic servandum concedere, prout eius prudentiae expeditius videbitur. Qua supplicatione et responsione audita, cum nondum deffinitum sit intra cuius limites ex proximioribus pareciis situm sit hoc oratorium, ne hoc beneficio hic habitantes et huic oratorio actualiter inservientes in eorum neccessitatis casibus careant, pro interim sacramentum olei infirmorum [40^v] in hoc oratorio decenter servari concessit, salvo sibi iure et cetera et sine praeiudicio et cetera et ita et cetera. Quibus habitis, reversus est in oratorium; Christum Dominum in augustissimo Sacramento iterum veneratus et sacrae imagini eius Matris debito obsequio peracto, in aedes praedictas regressus est ibique prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 26 aprilis 1744 post prandium. Coram Illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo comparuit antedictus reverendus Balbi, primarius cappellanus et obtulit facultatem ab hac curia obtentam excipiendi sacramentales utriusque sexus christifidelium confessiones in hoc ipso oratorio, quem – attentis attestationibus in forma admodum reverendi domini Christani Scardoni archipresbyteri et vicarii foranei Brentini – illustrissimus et reverendissimus praesul eidem ad annum mandati reverendi domini Petri Zaninelli, qui in hoc oratorio confessiones excipit in subsequenti visitatione Ferrariae, ubi domicilium habet et quoad alios sacerdotes (scilicet reverendum dominum Angelum Simoncelli de Pesina et reverendum dominum Leopoldum Facchinetti de Pazzono, qui habent mandata pro cura animarum praedictorum respective locorum) resservavit confirmationem eorundem mandatorum tempore quo terminus ipsorum complebitur. His expletis, illustrissimus et reverendissimus antistes in oratorium praedictum regressus est et ante imaginem beatae Virginis Mariae genuflexus, litanias una cum suo comitatu, cappellanis ac populo [41] recitavit. [A margine: San Giovanni Battista] Scallas subinde ascendit et pervenit ad praedictum locum Spiazzo nuncupatum, ubi ingressus oratorium supra laudatum Sancti Ioannis Baptistae, observavit altare in eo positum non esse consecratum et carere portatili, quin immo mensam nullum praeseferre vestigium ex quo coniiiciatur in illo aliquando fuisse portatile: non enim effossus in illa est locus in quo deprimi illud possit, unde numquam idem oratorium benedictum fuisse, aut ut in eo missa celebrari posset numquam licentiam concessam fuisse cognovit. Ex eo autem egressus, a primario cappellano beatae Mariae Virginis nova obsequii et venerationis argumenta recepit dimissisque admodum reverendis dominis Christano Scardoni archipresbytero Brentini et Ioanne Facchinetti rectore Pazzoni – a quibus in visitatione praedicti oratorii Beatae Virginis Mariae, una cum obsequio, comitatus continuo fuit – admodum reverendum dominum Hieronymum Vallicella, rectorem parochialis ecclesiae Sanctae

Cattarinae martyris Ferrariae, qui ibidem convenerat, praesentem et, debita animi sui veneratione, pastori visitaturo suam ecclesiam offerentem – excepit, illoque cum suo populo praecedente, aequum consensus, Ferrariam versus cum suo comitatu iter agressus est. In medio itinere praesto ei fuit scola doctrinae hristianae et clerus loci praedicti, divinas laudes cantantes in ordine processionis, a quibus deveneratus est iisque praeuntibus, ad parochialem pervenit ibique ex equo descensus, in aedes parochiales receptus, [41^v] quieti se tradidit et ibidem sine coena obdormivit. [A margine: FERRARA] Die lunae 27 aprilis 1744. Facto mane omnibusque in ecclesia dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, servatis ritibus a pontificali romano praescriptis, ecclesiam ipsam ingressus est et ante divinum Sacramentum stratus oravit decantatisque interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impartitus est. Porro ad thronum sibi a latere evangelii altaris maioris decenter paratum venit ac ibidem, violacei coloris pontificalibus paramentis indutus, pro defunctis tum in ecclesia tum in caemeterio eidem adnexo – quod etiam visitavit – preces fudit. Vidit quamdam partem terrae, quae est iuxta ecclesiam, et a parte evangelii et campanilis circumseptam, saxis coacervatis interrogavitque an ibidem quoque esset coemeterium responditque reverendus rector se audivisse aliquando olim ibidem cadavera tumulata fuisse et dum erigeretur edicula baptisterii, eidem terrae contigua, efossa fuisse crania hominum defunctorum; quapropter, cum haec pars terrae sit contigua ecclesiae, ut est altera pars coemeterii, et stantibus relationibus a praedicto reverendo rectore expositis, ordinavit ut infra. Vidit etiam subtus scallam per quem ascenditur in campanile imunditias, a quibus maxime abhorret sanctitas ecclesiae, cuius muris illae adhaerent; ideo ordinavit ut infra. Regressus in ecclesiam, violaceis paramentis dimissis illisque [42] albi coloris sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea in cupa intus inaurata, in pede et in operculo ex auricalco et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi, quae est argentea, servatum et tute custoditum. Vidit ostensorium argenteum in radiis et in pede ex auricalco, nec non amygdalam argenteam intus inauratam pro deferendo eodem Sacramento infirmis distantibus. Ex habitis perquisitionibus cognovit sub hac cura adesse animas a communione 297, in in totum vero 448. Sacramentum statutis temporibus renovari; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, in sero dari signa publicarique indulgentias associantibus concessas, pro qua decenti associatione extare quatuor fanalia, umbellam et vellum super humerale. Lampadem semper ardere ante idem Sacramentum et oleum subministrari a praedicto reverendo rectore. De cereis providet, pro cultu ipsius divini Sacramenti in altari maiori, idem reverendus rector exceptis dominicis tertiis cuiusque mensis, in quibus providet societas eiusdem Sacramenti. Expositionem huius Sacramenti fieri quacumque sexta feria martii, ultimo et primo die anni, postremis tribus diebus bacchanaliorum et quacumque die dominica a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris atque huiusmodi functionibus a communitate de omnibus provideri; Processionem vero fieri cum hoc ipso Sacramento in die Corporis [42^v] Domini et ab eadem communitate, Societatibus etiam concurrentibus, neccessaria subministrari idem reverendus rector fassus est. Populo subinde eodem augustissimo Sacramento benedixit et quamplures utriusque sexus christifideles eucharistico pane refecit. Sumptis propterea sacerdotalibus indumentis, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri ac nonnullos etiam utriusque sexus christifideles divino Sacramento cibavit. Actis Deo optimo maximo gratiis, visitavit olea sancta et vidit vascula maiora ex stamno, in capsula ex nuce sera et clavi munita et in loculo in cornu evangelii altaris maioris, sub sera et clavi servata, in quibus vasculis eadem olea sancta recipiuntur a plebe Caprini, ubi revrendus rector huius ecclesiae in sabbatho sancto inservit in functionibus eiusdem diei. Vidit etiam vascula minora itidem ex stamno, in quibus servantur olea cathecumenorum, Chrismatis et infirmorum. Visitavit fontem baptismatis, nuper renovatum et rite confectum; divisus enim est iuxta ordinationem in visitatione anni 1710 et positus est in aedicula a parte evangelii, in fine eiusdem ecclesiae, quae clauditur cancellis ligneis, tuta sera et clavi munitis. Vidit et visitavit altare maius, marmoreum cum portatili, quod eleganti forma est constructum, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo reverendus rector celebrat et diebus festis applicat pro

populo. In hoc altari est societas sanctissimi Sacramenti, de qua in postrema visitatione anni 1710 facta est mentio, illa tamen de [43] suae erectionis documento docere non potest; attamen ab immemorabili erectam fuisse asseritur, a qua providetur hoc altare de suppellectilibus, quibus concurrunt etiam populus huius loci cum suis oblationibus. Haec societas habet redditus tronorum 3.15 qui exigebantur ab haeredibus Benedicti Zanolli, ut apparet ex libro foris inscripto 1735. Maestro della venerabile compagnia della Ferrara, sub die 11 aprilis 1735, nunc vero redditus ipse translatus est, ut asseruit dominus Antonius Zaninelli, cancellarius ipsius societatis super unam petiam terrae, locatam Ioanni et fratribus Zanolli, pro qua petia terrae solvunt tronos novem marculos quatuor. Item exigit a praedictis fratribus Zanolli alios tronos 5.9, vigore praedictae locationis, quibus completur cum praedictis tronis 3.15 summa tronorum 9.4 supradictorum. Certos alios redditus non habet haec societas, sed a confratribus et consororibus quotannis offertur eleemosyna marculorum quatuor pro quoque, quibus eleemosynis et praedicto affictu supplent oneribus supradescriptis nec non celebrare faciunt unam missam in anno iuxta legatum quondam Benedicti Zanolli. Observavit, quamvis ecclesia haec est sub titulo Sanctae Cattarinae virginis et martyris, nullam tamen eius adesse imaginem in hoc altari aut sculptam aut depictam. Adest indulgentia plenaria visitantibus hanc ecclesiam in die festo eiusdem sanctae Cattarinae ad septennium concessa, ut ex brevi apostolico dato die 26 aprilis 1741, in hac curia viso die 10 iunii eiusdem [43^v] anni. Visitavit altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et icone depicto, de ratione societatis eiusdem Rosarii in eo erectae et recognitae in postrema visitatione anni 1710, quae habet redditus tronorum 7.16 qui exiguntur ab Antonio Prandini et nepotibus, aliorum tronorum 3.15 quos exigit ab heredibus quondam Donati Zaninelli et aliorum; aliorumque vero troni 3.15, quos percipit ab haeredibus quondam Bartholomaei Cavagna, ex quibus conficitur summa tronorum 15.6, ut apparet ex antecitato libro, exhibito, viso et restituto. Praeter hos redditus, confratres contribuunt annuatim singuli marculos quatuor, unde ex his redditibus societas sustinet onera praesertim missarum infrascriptarum, scilicet celebrari faciunt tres missas a reverendo rectore pro legato et cetera Ioannis Perosini, aliam missam iuxta intentionem quondam Antonii Coltri et aliam pro legato descripto in pollicea domini rectoris pro quondam Cecilia dicta la Settima et ut in praedicto libro et in alio foris inscripto “1702, libro della Veneranda Compagnia del Santissimo Rosario” sub die 24 aprilis 1735 exhibito, viso et restituto. Visitavit altare Conceptionis beatae Virginis Mariae, de iure eiusdem societatis, a qua manutenetur quaeque ibidem erecta est, ut recognitum fuit in postremis visitationibus. Hoc altare est marmoreum cum portatili et icone beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, sub criyallis servata. [44] Extat in hoc altari privilegium pro confratribus et consororibus praedictae societatis pro die Commemorationis defunctorum et singulis diebus infra illius octavam ac feria secunda cuiuslibet hebdomadae, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 26 aprilis 1741, in hac Curia recognito die 10 mensis iunii ipsius anni. Societas praedicta habet redditus tronorum 7.10, quos exigit ab heredibus quondam Bartholomaei Cavagna; item tronorum 3,15, quos percipit ab heredibus quondam Francisci et quondam Ioannis Baptistae fratrum Bianchi, ex quibus coalescit summa tronorum 11.5. Exigit etiam haec societas a confratribus singulis annuatim marculos quatuor et ex his sustinet onera suprascripta et celebrari facit missas duas pro legato quondam Ioannis Massetti, ut ex libro praedicto *Maestro*, ut ante viso et cetera. Reverendus rector pro executione aedictorum praesentis visitationis obtulit polliceas requisitas, quas ego notarius recepi et in fine huius libri posui ad litteram G. Posthaec in edibus parochialibus antedictis receptus, prandium sumpsit et parumper quievit. Die 27 aprilis 1744 post prandium. Congregata iam in ecclesia scola doctrinae christianae pro eiusdem exercitio, illustrissimus et reverendissimus antistes in illam descendit adoratoque divino Sacramento, praecepit reverendo rectori ut interroget pueros et puellas circa misteria fidei aliaque neccessaria ad aeternam salutem et ex interrogationibus ac responsionibus sufficienter edoctos esse cognovit hortatusque [44^v] est tam ipsum reverendum rectorem quam caeteros operarios ut exercitio ipso, quod tam neccessarium est ad aeternam salutem, magis magisque in dies dent operam, a Deo optimo maximo bonorum largitore mercedem recepturos. Oblatos sibi libros a domino priore doctrinae christianae praedictae vidit et visitavit, ex quibus hanc scholam bene regi et gubernari cognovit. Pontificalibus subinde indutus, quampluribus

utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Visitavit etiam unicum confessionale ex nunc in hac ecclesia positum, in quo sacramentales utriusque sexus christifidelium confessiones excipiuntur. Vidit et visitavit sacristiam et in ea apparamenta, suppellectiles et vasa sacra tam ad sacrum faciendum quam ad functiones peragendas neccessaria quaeque descripta sunt in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram G. Hisce absolutis, in aedes praedictas receptus quieti se tradidit et sine cibo obdormivit. Die martis 28 mensis aprilis 1744. Illustrissimus et reverendissimus praesul antedictus, facto mane, praefatam parochialem ecclesiam adiit et, pia emissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium celebravit; quo absoluto, nonnullis utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem praebeuit et aliquot sacro Chrismatis oleo in fronte signavit. Quibus habitis, in aedes parochiales regressus, una cum reverendissimo domino [45] provicario suo generali pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Hieronymus Vallicella, rector huius ecclesiae, quam obtinuit anno 1737 et obtulit litteras apostolicas et mandatum executivum diei 7 octobris anni 1737 nec non libros huius curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum, quos sufficienter tentos invenit; et interrogatus de vita et moribus sacerdotum et an in hoc loco adsint adulteri, concubinari, scandalosi aut publici alii peccatores, respondit sacerdotes vitam ducere proprio characteri congruentem nullumque – Dei gratia – publicum existere peccatorem, praeter illos de quibus in policea iam a se exhibita. Cum vero illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ut bonus pastor, oves a recta via deviantes quaerere omni conatu curasset, Ioannem Zaninelli incassum quaesivit, eo quia non modo renuit sacramentis accedere, sed cum mente aliquando laboret, nunc refugit audire vocem sui pastoris, quapropter idem illustrissimus et reverendissimus praesul illum plurimis iisque charitate refertis verbis, pietati rectoris commendavit ut, cum cognoscet illum esse suae mentis compotem, suadeat moneatque de suo officio et obedientia erga divinas et ecclesiasticas leges. Quaesivit etiam de Dominico Vechiarusolo, sed aberat ab hoc loco – ut relatum fuit – quamvis non accesserit ad hanc ecclesiam tempore paschali, certo tamen constare eodem tempore paschalem communionem alibi sumpsisse. [45^v] Reverendus dominus Petrus Donatus Zaninelli, sacerdos aetatis annorum 33, cum mandato pro cura animarum ad annum hodie confirmato. Reverendus dominus Dominicus Ferrari, sacerdos annorum 32, qui fuit hodie approbatus ad curam animarum ad annum pro maribus et mulieribus infirmis tantum. Successive venerunt, vocati, consiliarii huius communitatis, qui interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio ministerio reverendi rectoris huius ecclesiae nec non de vita et moribus sacerdotum et an in hac paroecia adsint usurarii, adulteri vel alii publici peccatores, responderunt reverendum rectorem esse bonis vita et moribus ac diligenter officium suum pro se exequi; sacerdotes quoque recte vivere et ecclesiasticis functionibus praesto esse nullumque scandalum publicum aut aliquem dissidentem cum proximo sive reum publici criminis adesse. Exposuerunt subinde morem esse quoties funus peragitur alicuius ex istis parochianis offerre reverendo rectori candellas unciae unius ut eas ponat in altaribus, in cruce et alibi; rectorem autem candellas huiusmodi ponderis respuere, praetendentem alias ponderis maioris; quapropter supplicaverunt ut dominatio sua illustrissima et reverendissima dignetur decernere quomodo et quid ea occasione praestandum sit. Illustrissimus et reverendissimus antistes, eorum reverenti supplicatione audita, decrevit ut oblatio ea occasione fiat candellarum non minoris ponderis quam duarum unciarum, relinquens [46] arbitrio cuiuscumque augendi pondus iuxta eius facultatem et devotionem et reverendus rector ea oblatione, ut supra constituta, sit contentus et ita et cetera, omni et cetera. Venerunt etiam Veronica uxor Dominici Zocca et Victoria uxor Hieronymi Crosati, ambo obstetrices huius loci, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, bene edoctas esse se se praebuerunt. Hisce habitis, visitavit domum parochialem, sufficientis structurae, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 28 aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem antedictam descendit eamque vidit et visitavit de parte in partem, quae est divae Cattarinae virgini et martyri dicata, non consecrata, de iure huius communitatis, a qua manutenetur; in ea non extat suggestum habetque fenestras absque ramatis ferreis. Subest hoc beneficium iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii

tridentini. Vidit etiam et visitavit campanile, in quo duo sunt campanae. Quibus expletis, adorato divino Sacramento factisque infrascriptis ordinationibus, oravit pro defunctis ac visitationem huius parochiae, cleri et populi Ferrariae in Domino absolvit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur illarumque cineres [46^v] in eodem coemeterio spargantur et semper abrasae teneantur – locus qui est iuxta ecclesiam et a parte evangelii et campanilis circumdetur muro habeatque ianuam per quam ingreditur cum crate in ingressu lapidea, ferrea vel lignea subtusque sit fovea, ne pateat additus animalibus et locus ipse habeatur etiam pro coemeterio, in cuius medio errigatur columna cum cruce ferrea in apice – purgetur locus qui est subtus scalam per quam ascenditur in campanile ab imunditiis et reverendus rector moneat populum ne deinceps eo modo profanet domum Dei suadeatque immo populum ipsum ad hoc ut ea occasio omnino tollatur et comodior sit locus sacristiae, ut muros extruant iuxta muros chori ecclesiae et ampliorem efficiant sacristiam ipsam, ita tamen ut ordo idem architecturae quo constructa est eadem sacristia in ea dilatanda servetur – iterum argento liniatur operculum et pes pixidis, prout etiam pes ostensorii – provideatur de baldachino – schedae communicatis in Paschate distribuantur et recolligantur – capsula pro vase olei infirmorum rite renovetur, ita ut in ea vas bene clausum sit – confessionalis ponatur aliqua devota imago ex parte poenitentium – provideatur de altero confessionali, ponendo in faciem et e regione nunc existentis confessionalis – provideatur de figura Ressionis, apponenda super tabernaculum [47] tempore paschali – in altari maiori ponatur imago aut sculpta aut depicta sanctae Cattarinae virginis et martyris – portatile altaris maioris provideatur de tela cerata qua cooperiatur – provideatur portatile altaris beatae Virginis Mariae a Rosario de tela cerata qua cooperiatur – obturentur rimae quae sunt in mensa altaris Conceptionis beatae Virginis Mariae et praesertim circum portatile, quod provideatur de tela cerata qua omnino tegatur – inaretur minor calix cum patena et interim sit suspensus – suspendantur duae planetae, una rubei altera albi coloris, quae et lacerae sunt et formam obsoletam habent – sarciantur duae planetae cum earum stollis et manipulis ex panno laneo, quarum altera est rubri, altera albi coloris – provideatur de duobus saltem superpelliceis et de duabus saltem vestibus talaribus, servandis in sacristia – provideatur de scitula ex qua depluat aqua ad manus abluendas et proximum illi sit manutergium – alterum ex missalibus sarciantur, praesertim in canone – cum haec ecclesia careat apparamento albi et rubei colorum, scilicet pro sacerdote et ministris occasione missae solemnis vel expositionis Sacramenti cumque reverendus rector obtulerit sponte se impensurum in providendo de planeta, ordinavit ut communitas provideat de dalmaticis et pluviali, ita [47^v] tamen ut inservire hoc apparamentum possit pro albi et rubei coloribus – instituat librum status animarum, in quo describatur cuiuscumque parochiani nomen et cognomen, aetas, status communionis aut confirmationis et servetur ordo familiarum – erigatur suggestum in medio muri ecclesiae a parte evangelii supra confessionali nunc existenti – fenestrae ecclesiae muniantur ramatis ferreis – construatur sepulcrum in ecclesia pro tumulandis sacerdotum cadaveribus.

Ex ecclesia parochiali Ferrariae egressus receptisque a reverendo rectore, clero et populo devenerationis et gratiarum actionis argumentis, paratum equum ascendit et praeceuntibus loci militibus ac subsequente suo comitatu, ad plebem Caprini iter contendit. Ad confinia perventus, iterum fuit deveneratus a reverendo rectore, clero et populo Ferrariae iisque sua cum benedictione dimissis, praesto illi fuerunt reverendus curatus coadiutor venerabilis plebis Sanctae Mariae de Caprino, una cum aliis sacerdotibus loci ac ordinantiarum militibus qui, nomine admodum reverendi archipraesbyteri illius loci, venerationis, obsequii ac laetitiae obtulit argumenta, a militibus vero frequenti tormentorum bellicorum explosione salutatus ipsisque praeceuntibus, iter progressus est. Non procul a plebe praedicta aderant admodum reverendus archipraesbyter plebis nobilesque aliquot viri et inter eos nobilis dominus Alexander de marchionibus Carlottis, populus, [48] etiam pueri, puellae atque operarii doctrinae christianae ac reliqui sacerdotes, qui processionaliter, praevia deveneratione, pastori visitaturo praecedebant, divinas laudes decantantes, cum quo comitatu ad aedes parochiales usque pervenit, in iisque receptus quieti se dedit et absque cibo obdormivit.

[A margine: CAPRINO] Die mercurii 29 mensis aprilis 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, facto mane omnibusque in ecclesia dispositis, descendit ad ianuam aedium parochialium ibidemque sub baldachino a sex sacerdotibus gestato receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi a reverendo archipraesbytero porrectam adoratus et deosculatus est; clero processionaliter precedente et decantante iuxta morem, ecclesiam parochialem adiit, in cuius ingressu aqua lustrali frequentem populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus, divinum Sacramentum adoravit decantatisque interea decantandis altare ipsum ascendit et, recitata oratione titularis, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Mox ad thronum sibi a latere evangelii altaris maioris paratum venit ac, ibidem assistentibus in dalmaticis admodum reverendis dominis Donato Antonio Brasavola archipraesbytero Sancti Laurentii et Francisco Paderni archipraesbytero Sanctorum Clementis et Blasii Veronae, violaceis coloris pontificalibus indumentis vestitus, [48^v] exequias pro defunctis, tam in ecclesia quam in coemeterio eidem proximo – quod etiam visitavit – absolvit. Dimissis violaceis albisque apparamentis sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea intus inaurata et in tabernaculo marmoreo, sub sera et clavi – quae est argentea – tute custoditum. Hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; sub hac cura animas a communione 1290 extare, in totum vero 1911, inter quos nullum qui non obediat praecepto paschali, duobus exceptis, quibus ipse dominus archipraesbyter eandem communionem prorogavit. Communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; dum ad infirmos deferendum est hoc Sacramentum, data opportunitate, in sero dari signa ac indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua decenti associatione extant suppellectiles descriptas in pollicea quam, una cum aliis, dominus archipraesbyter obtulit et in fine huius libri posui ad litteram H. Lampadem ante hoc ipsum Sacramentum ardere, pro qua clerici huius plebis pro tribus partibus et dominus archipraesbyter pro quarta concurrunt ad oleum subministrandum. Expositionem hoc ipso Sacramento fieri in die Corporis Domini, singula quaque sexta feria martii et diebus dominicis a festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis [49] mensis septembris; processionem fieri in die Corporis Domini dominus archipraesbyter testatus est. Vidit etiam ostensorium argenteum, cuius pes aptatur etiam cupae calicis argenteae nec non amygdalam argenteam intus inauratam. Populus subinde hoc ipso Sacramento benedixit eoque reposito, suggestum conscendit ibidemque sermonem habuit, quo piissimi ac paterni animi sui mentem occasione huius suae pastoralis visitationis declaravit, se scilicet a sede sua discessisse et itineris incomodi laborem exantlasse, ut huic sui gregis parti paternam opem ferret ac ut infirmis vel mortifer labe sauciatis oviculis sibi commissis medelam ac vitam praeberet. Animadvertit populum de peccati iniuria qua afficiuntur qui demonis suggestionibus aut carnis mundique illecebris moventur eumque argumentis efficacissimis deterruit a viis pessimis huius saeculi suasitque ut dignos poenitentiae fructus faceret, ad hoc ut, si quis infirmus esset, divinae gratiae robore confirmaretur; si quis mortuus, per veram poenitentiam revivisceret. Quibus populus frequentissimus comotus, manifestis indiciis ostendit illum esse oves gregis huius optimi pastoris, quae et libenter audiunt eius vocem et ut ad pascua vitae aeternae ab illo dirigantur summum desiderium praesetulerunt. E suggestu descensus, sacerdotalibus indutus vestibus, sacrosanctum missae sacrificium celebravit ac mille circiter utriusque [49^v] sexus christifideles eucharistico Pane cibavit. Posthaec iam defatigatus, in aedes parochiales antedictas receptus, prandium sumpsit ac parumper quievit. Die antedicta 29 aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul, in praedictam parochialem ecclesiam et in ea augustissimo Sacramento adorato, pontificalibus indumentis vestitus, supra quingentos utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte perunxit. Ad aedes parochiales subinde regressus, brevioribus episcopalibus vestibus indutus, perexit ad visitandum [a margine: Oratorio Carlotti] oratorium in privatis edibus nobilis domini marchionis Alexandri de Carlottis veronensis, auctoritate apostolica erectum anno 1736, ut ex brevi diei 7 mensis februarii 1716 et mandato executivo diei 16 iulii anni praedicti 1736, quod rite instructum invenit. Ordinata. Portatile provideatur de tela cerata qua omnino tegatur. Quibus

habitis, in aedes parochiales restitutus in proprio cubiculo se se recepit et incoenatus obdormivit. Die iovis 30 mensis aprilis 1744. Summo mane reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria tam intra limites parochialis Pazzoni quam intra fines huius plebis Caprini. Et primo, [a margine: Oratorio Bevilaqua] visitavit oratorium in privatis aedibus nobilis domini comitis Federici Bevilaqua, erectum vigore brvis apostolici diei 19 septembris 1721 et mandato executivo ab hac curia relaxato die [50] [*manca*], quod rite instructum et de omnibus bene provisum invenit. Ordinata. Fenestrae muniantur speris vitreis. [A margine: San Bernardin di Vilmezano] Se contulit subinde ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Bernardini, de iure viciniarum Vilmezani et Bragae, intra limites parochialis Pazzoni; quo perventus, sacrosanctum missae sacrificium celebravit eoque absoluto, in eo vidit duo altaria, quae visitavit: maius scilicet, marmoreum cum portatili, in quo est imago ex ligno sculpta sancti Bernardini titularis huius oratorii; super gradus in facie autem huiusmet altaris est imago beatae Virginis Mariae a Carmelo, quae est collocata in loculo sub crystallis. Hoc altare manutenetur partim a societate beatae Virginis Mariae a Carmelo, hic canonice erecta, partimque a viciniis praedictis. Hoc oratorium habet redditus descriptos in pollicea facta sub die 22 huius mensis et subscripta a Dominico Pierfranceschi massario, ab ipso etiam exhibita et in fine huius libri posita ad litteram E, quantitatis tronorum 244.19.6 et frumenti trium quartarum, qui redditus obnoxii sunt oneribus in eadem pollicea descriptis, inter quae est onus missarum viginti septem, iuxta obligationes descriptas in alia pollicea diei 25 aprilis labentis, quas missas celebrat reverendus rector Pazzoni et adimplet huic oneri. Altare praedictum est privilegiatum pro confratribus et consororibus societatis praedictae beatae Virginis Mariae a Carmelo in die Commemorationis [50^v] defunctorum, singulis diebus intra illius octavam ac feria quarta cuiuslibet hebdomadae, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 17 septembris 1739, in hac curia episcopali viso die 5 inauarii 1740. Praedicta societas erecta fuit anno 1680, ut recognitum est in praecedentibus visitationibus et sub conditionibus et capitulis factis et approbatis a Sebastiano Pisano episcopo veronensi die prima augusti 1680, quorum exemplar, a reverendo rectore traditum, in fine huius positum est ad litteram E. Eius confratres sunt modo 1500, a quibus exigitur eleemosyna quaedam ex qua coalescit annuatim summa tronorum 300 circiter, qui impenduntur concurrente ad expensas neccessarias cum praedictis contratis Vilmezani et Bragi pro manutentione altaris maioris – in quo collocata est imago beatae Virginis Mariae – et suppellectilium sacrarum inservientium ad cultum divinum et sacrificium missae nec non impenduntur ad adimplenda alia onera, descripta in pollicea diei 25 huius mensis aprilis et subscripta ab Andrea Martini massario et ab ipso exhibita et in fine huius libri posita sub littera E. Vidit et visitavit etiam libros in quibus descripti sunt confratres et consorores, missae celebratae pro confratribus defunctis et alium in quo descripti sunt redditus et exitus huius societatis, qui omnes recto ordine servantur. Vidit alterum librum, in quo describuntur communionem quae fiunt a confratribus quaque singula tertia dominica mensis. Altare, quod in visitatione anni 1710 dicitur beatae Virginis Mariae a Carmelo, [51] nunc sub nuncupatione sanctorum Rocchi et Sebastiani, marmoreum cum portatili et icone depicto, quod manutenetur a praedictis duabus viciniis; utraque haec altaria satis ornata et de omnibus neccessariis provisa sunt. Visitavit unum confessionale stabile et alia duo mobilia, in quibus aliquando reverendus rector Pazzoni et alii sacerdotes approbati et ab ipsomet reverendo rectore missi audiunt laicorum sacramentales confessiones, quotiescumque eidem rectori videtur pro sui populi comodo conducere. Retro altare maius visitavit sacristiae locum, ubi servantur suppellectiles sacrae pro missae sacrificio, quae descriptae sunt in inventario exhibito et posito in fine praesentis libri sub littera E, inter quas vidit pixidem ex cupro inaurato in qua, quoties videtur opportunum reverendo rectori, consecrantur particulae ad populum communicandum; qua occasione idem reverendus rector a sua parochiali ecclesia tabernaculum mobile ligneum huc defert et deinde illud suae ipsius ecclesiae restituit. Suppellectilibus, vasibus caeterisque ornamentis satis decenter instructa est eadem sacristia. Visitavit campanile, in quo vidit unam tantum extare campanulam. Vidit etiam in hoc oratorio tria scamna ex nuce deformia, quae impediunt ecclesiam. Visitavit et vidit etiam librum in quo descripti sunt redditus et onera huius ecclesiae, ex quo apparet diligenter rem huius [51^v] ecclesiae administrari. Ordinata. Utriusque

altaris portatilia eleventur paulisper illorumque rimulae obturentur – amoveantur ab ecclesia scamna et, quatenus nova poni reggentes huius ecclesiae opportunum iudicent, decenti forma constructa collocent eaque omnia sint eiusdem formae nec occupetur locus e regione altaris sanctorum Rocchi et Sebastiani et, quatenus possessores praedictorum trium scamnorum alia substinere cupiant, substituant, servata tamen forma ut supra. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Michel] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Michaelis Arcangeli de Caprino, infra limites parochialis ecclesiae Pazzoni, de ratione familiae Righotti bergomensis, in quo unicum est altare in mensa et gradibus marmoreum, in reliquis ex ligno depicto constructum, cum portatili et icone depicto. In hoc oratorio est simplex beneficium ecclesiasticum, de iure patronatus – ut asseritur – praedictae familiae de Righottis, cuius beneficii nunc est possessor reverendus dominus Bernardinus Patirani, sacerdos bergomensis, Veronae degens et in cathedrali ressidens medio litterarum huius curiae et mandati executivi diei 11 maii 1722, quas litteras, nomine praedicti reverendi Patirani, praesentavit admodum reverendus dominus Donatus Antonius Brasavola, archipraesbyter Santi Laurentii Veronae. Nullam missam celebrare reverendum beneficiatum huius oratorii [52] vel celebrari facere neque in die titulari eiusdem oratorii assertum fuit. Redditus autem huius beneficii sunt tronorum 80, quos solvit Angelus Gagioni haeremita, custos huius oratorii, qui conduit – ut ipse asseruit – petias terrae et livellos obnoxios eidem beneficio. Hoc oratorium visitantes in die eiusdem sancti Michaelis de mense septembris fruuntur indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 14 septembris 1742, in hac curia viso die 24 eiusdem mensis et anni. Vidit sacristiam et in ea suppellectiles et vasa sacra ad missae celebrationem necessaria quaeque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram E nec non campanile, in quo est una campanula. Vidit et visitavit etiam domum contiguam, quam inhabitat praedictus Angelus Gagioni haeremita et quae istius industria amplificata fuit et in decentem formam redacta.

Decretum. Stantibus huius beneficii redditibus, ne benefactorum animae suffragio careant et debitus honor arcangelo Michaeli angelisque omnibus tribuatur, reverendissimus dominus provicarius generalis decrevit ut beneficiarius unam missam celebrare faciat in die festo dedicationis eiusdem sancti Michaelis, aliam in die eiusdem Apparitionis et aliam in die festo sanctorum Angelorum Custodum, iuxta intentionem supra expressam et ita et cetera, omni et cetera.

Quibus habitis et cetera. [52^v] [A margine: San Martino] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Martini episcopi, de iure nobilis familiae Brenzoni veronensis, a qua manutenetur, una cum eleemosynis huius contratae. Est hoc oratorium intra limites parochialis Pazzoni et in eo duo sunt altaria, quae visitavit: maius scilicet ligneum cum portatili et icone depicto; alterum sancti Antonii patavini, quod habet mensam marmoream, portatile et iconem depictum. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed ex devotione in eo tantum celebratur. Ex consuetudine processio in diebus Rogationum maiorum et minorum convenit ad hoc oratorium, et hic solet missa iisdem occasionibus celebrari et stipem erogat communitas Caprini, aliis autem diebus aliquando celebratur missa ex devotione. Vidit confessionale positum in hoc oratorio ubi, de licentia reverendi rectoris Pazzoni, excipiuntur sacramentales christifidelium confessiones. Vidit retro altare locum pro sacristia et ibidem armarium ex nuce, in quo servantur sacrae suppellectiles descriptae in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera E. Visitavit etiam coemeterium eidem oratorio proximum, in quo aliquando sepeliuntur homines huius contratae, ac ibidem pro defunctis oravit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, conburantur illarumque cineres [53] in eodem spargantur – sarciatur planeta albi coloris – comparetur planeta cum suis stolla, manipulo, bursa ac velo nigri coloris nec non missale novum mortuorum. Quibus habitis et coetera. [A margine: San Giovanni Battista di Lubiara] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Ioannis Baptistae, infra limites plebis Caprini et in contrata Lubiara situm, in quo unum vidit altare marmoreum cum portatili, de iure ipsius viciniae Lubiarae, a quo de omnibus manutenetur. In hoc oratorio est obligatio tot missarum quot, pro ratione redditus qui percipiebantur ex Montanea dicta Imme, ad rationem triginta marcularum pro quaque, celebrari possent. Thomas quondam Georgii Soldavici, contratae Gamberoni intra fines huius plebis Caprini, in suo testamento diei 14 iulii 1692 in actis

Francisci Gelmetti notarii, exhibito, viso et restituto, reliquit praedictam Montaneam ratione legatus seu reddituum ex ipsa, cum praedicto onere. Cum vero iuxta leges in Montanea subhasta vendita fuerit et illa – ut relatum fuit – emerit nobilis dominus comes Laurentius Ottolini, eius praetium investitum fuit in bonis Thomae Rossi pro summa ducatorum 500, Ioannis Baptistae Rossi pro ducatis 421, Michaelis Crosato pro ducatis 500, Evaristi Vianin pro ducatis 666 3/4, haeredum quondam Simonis Scala pro ducatis 200, haeredum quondam Francisci Coltri ducatis 350, ex quo capitali integro, ad rationem quatuor pro centenario, exiguntur redditus tronorum 658.9; unde celebratur missa quotidiana et huic oneri adimplet reverendus dominus Arcangelus Coltri, nepos testatoris, [53^v] ortus enim est – ut asseruit – ex eiusdem sorore, ut constat ex instrumento patrimonii constituti eidem reverendo Arcangelo Coltri diei 21 augusti 1714 in actis huius curiae. Vidit campanile, in quo extat unica campanula. Retro altare vidit locus sacristiae, ubi in armario ex nuce collocata sunt apparamenta et vasa sacra de quibus in pollicea exhibita, et fine huius libri posita ad litteram H. Visitavit etiam coemeterium praedicto oratorio proximum pro hominibus huius contratae, in quo pro defunctis oravit. Ordinata. Provideatur portatile de tella cerata qua cooperiatur – patena retro liniatur argento – missali romano aptetur novum canon et missae recentiores sanctorum, quae desunt – oculus ecclesiae muniatur rete ferrea et spera vitrea – eradantur herbae e coemeterio, comburantur earumque cineres in ipsum spargantur et semper abrasae servantur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Marco] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Marci apostoli et evangelistae de Lubiara Caprini, infra limites plebis eiusdem loci, de iure communitatis ipsius, a qua manutenetur. Unicum haet altare marmoreum, in quo positum est portatile ad mensuram canonicam et est cum icone decentius quam prius erat depicto. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed ex communitatis voto singulis annis celebratur missa in diebus sancti Marci, sancti Sebastiani, sancti Rocchi et beatae Virginis Mariae a Carmelo, sumptis sacris [54] apparamentis a plebe. Ordinata. Fiat novus gradus pro candelabris substinendis isque decenter pingatur – provideatur de aliis duobus candelabris ex ligno nucis, similibus duobus nunc existentibus et in medio alterutrius ex quatuor candelabris ponatur angelus seu figura aliqua representans imaginem alicuius sancti – ponatur etiam super eundem gradum in medio altaris crux cum crucifixo, quae sit decentius sculpta – fiat antipectile ex corio aurato seu ex ligno depicto, in cuius medio sit depicta devota imago – fenestris huius ecclesiae aptentur valvae lignae. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Interea illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus ecclesiam parochialem petiit, in qua sacrum obtulit aeterno Patri, eoque absoluto, supra quingentos utriusque sexus christifideles augustissimo Eucharistiae sacramento refecit. Hisce peractis, in aedes parochiales se se recepit, prandium sumpsit et aliquantulum obdormivit. Die antedicta 30 aprilis 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul ecclesiam antedictam parochialem adiit ac in ea, pontificalibus indutus, quampluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Posthaec, pastoralis suae visitationi incumbens, visitavit olea [54^v] sancta et vidit vascula maiora in capsula ex nuce sera et clavi munita, in quibus eadem olea a cathedrali recipiuntur, servata in loculo ad id parato in cornu evangelii altaris maiori, sub sera et clavi bene custodita. Vidit vascula minora oleorum, scilicet Chrismatis et cathecumenorum ex stamno nec non duo vasa pro oleo infirmorum, aliud argenteum, aliud vero ex stamno. Vidit et visitavit fontem baptismalem in loco decenter et apte constructo, iuxta ianuam maiorem ecclesiae a parte epistolae positum et observavit ciborium plurimas habere rimas et conopeum ex tella compactum esse. Vidit duo confessionalia in hac ecclesia posita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, quod est marmoreum habetque gradus et tabernaculum item marmoreum viditque in eo mensam, quae – ut in visitationibus antecedentibus asseritur – est consecrata sed, cum occasione huius altaris reaedificandi mensa ipsa e suo loco fuerit remota et reliquiarum capsula extracta et ibidem reposita nec non antipectile marmoreum eiusdem altaris fuerit adnexum eidem mensae, ita ut mensa ipsa non sit prope pectus celebrantis, sed propius gradibus pro candelabris et super eam sacrosancta oblatio sacrificii consistere nequeat: ideoque ordinavit ut infrascripta et coetera. In hoc altari est obligatio missarum iuxta redditus facultatis [55] ad hoc relictas a quondam Catharina Fiorana huius

loci, in suo testamento diei 3 novembris 1710 in actis domini Antonii Gelmetti notarii, exhibito, viso et restituto. In hoc ipso altari admodum reverendus Archipraesbyter celebrat et diebus festis applicat pro populo. Huic altari erecta est societas sanctissimi Sacramenti, quae habet redditus, scilicet: pro capitali ducatorum 60, investitum in bonis haeredum quondam Dominici Mazzola, ut apparet ex libro foris inscripto “1672. Nomi d’affittuali della Compagnia del Corpus Domini della Pieve” pagina 50: lirazze 22.5.3. Item pro capitali ducatorum 20, investito in bonis Angeli Agnolini, ut ibidem pagina 49: lirazze 7.9. Item pro capitali ducatorum 19, investito in bonis haeredum quondam Petri Dorio Porcini, ut ibidem pagina 48: lirazze 7.1.6. Item pro capitali ducatorum 150, investito in bonis Antonii quondam Michaelis Franceschini, ut ibidem pagina 47: lirazze 49.12. Item pro capitali ducatorum 57, investito in bonis quondam Francisci quondam Antonii Gagliardi de Gavono, ut pagina 46: lirazze 19.9. Item pro capitali ducatorum 50, investito in bonis Evaristi Vianino pagina 45: lirazze 17.1. Item pro capitali ducatorum 25, investito in bonis quondam Gregorii Andriol quondam Blasii de Rasine Lubiarae, pagina 43: lirazze 9.6. Item pro capitali ducatorum 50, investito in bonis quondam Ioannis Pachera quondam Marci de Gaono, pagina 42: lirazze 17.1. Item pro capitali ducatorum 40, investito in bonis Antonii Valentinelli, pagina 41: lirazze 14.18. Item pro capitali ducatorum 150, investito in bonis domini Lauri Brunelli, medicinae doctoris, pagina 40: lirazze 51.3. Item pro capitali ducatorum 50, in bonis haeredum quondam Petri et Francisci fratrum de Monte quondam Antonii, pagina 39: lirazze 18.12. Item pro capitali ducatorum 100, investito in bonis [55^v] Christophori Fiorio, pagina 37: lirazze 34.2. Item pro capitali ducatorum 40 troni 3, investito in bonis Catharinae relictæ quondam Caroli Ferrari Ceredelli, pagina 36: lirazze 13.10.6. Item pro capitali ducatorum 50, investito in bonis haeredum quondam Ioannis baptistae Zuliani Ceredelli, pagina 35: lirazze 18.12. Item pro capitali ducatorum 40, investito in bonis haeredum quondam Petri quondam Antonii Berti de Boschis, pagina 33: lirazze 14. Quae omnia constituunt summam librarum 314.2.3. Onera autem huius societatis, ut apparet ex libro foris inscripto “1692 – Registro de Legati perpetui della Veneranda Compagnia della Beata Vergine e Corpus Domini della Veneranda Pieve di Caprino” sunt videlicet: pro legato relicto a quondam Margarita Franceschini de Lubiara, in testamento diei 5 martii 1604 in actis domini Hieronymi Salarini, in quo aggravavit suum haerem ad solvendas eidem societati libras 10.10 denariorum, cum onere faciendi celebrare de anno in annum unum officium mortuorum pro anima sua et suorum defunctorum. Haec societas accepit capitale et investivit ideoque quotannis ex eius redditibus tenetur dare etolvere domino archipraesbytero libras 14 parvorum, ad hoc ut celebret officium praedictum. Item pro legato quondam dominae Ippolitae relictæ quondam Bernardini Pachera, in eius testamento 16 septembris 1618, in quo reliquit societati capitale ducatorum 50, ut ex eius fructu reggentes societatis celebrari faciant officium missarum decem pro anima sua. Societas haec, ut officium tot missarum celebrari faciat, impendit libras 25.14, quamvis redditus huius legati non excedant libras 18.12, cum onere solvendi gravedines. [56^v] Solet etiam eadem societas, ut apparet ex libro foris inscripto “1672 – Entrata et uscita della Compagnia del Corpus Domini della Pieve di Caprino et cetera”, celebrari facere quatuor officia, singula missarum quatuor, iuxta assertam ibidem testamentariam dispositionem quondam Aldi, sed in libro supra relato “Registro et cetera” folio 5, constat hanc societatem teneri ad praedicta quatuor officia celebrari facienda pro Petro Pasini quondam Iacobi dicto Aldi. Item aliud officium, ut ibidem describitur, pro quondam Eva Aliprandi missarum quatuor, sed ex libro praedicto “Registro et cetera” folio 9, apparet ipsam societatem teneri ad faciendum celebrari pro hac obligatione officium missarum decem, cum ipsi relictum fuerit capitale ducatorum centum. Horum postremorum duorum onerum documenta ostendere non potuerunt reggentes, eo quod ipsa documenta incendio consumpta sunt occasione qua incensa fuit sacristia huius plebis post medium saeculi proxime elapsi. Praeter haec onera aliud apparet onus descriptum in praecitato libro 1692 “Registro de Legati”, relictum a quondam Francisca Madice de Malaspinis, sed cessavit adimpleri huic oneri, stante capitali amisso per sententiam iudicis. Haec ipsa societas aliquando alia officia celebrari facit pro confratribus defunctis, tamen pro eius libitu, cum neque ex documentis neque ex imemorabili consuetudine horum officiorum obligatio, ut ipsi reggentes asseruerunt, resultet. [56^v] Illustrissimus et

reverendissimus dominus dominus episcopus, cum et ex libris supra exhibitis et ex responsionibus reggentium huius societatis, factis interrogationibus eisdem a se praemissis cognoverit non adimpleri onus officii impositi a quondam Margarita Franceschini de Lubiara neque ipsi dicere possint de capitali amisso, obnoxio eidem oneri, decrevit ut impleatur pia voluntas eiusdem testatrix iuxta vires redditus ut supra relictis. Quo vero ad officium relictum a quondam Ippolita Pachera, cum capitale sit ducatorum 50 et societas exigit tantummodo libras 18.12 et solvat gravedines, decrevit et reduxit hoc idem officium ad decem missas, celebrandas absque forma officii, ad rationem triginta solidorum pro quaque missa, cum onere erogandi praeterea domino archipraesbytero quod superest, detractis gravedinibus, pro sacristia. Quoad officium Evae Aliprandi. decrevit ut adimpleatur testatrix voluntas, celebrari faciendo officium missarum decem. Quo vero ad officia quae fiunt pro libitu reggentium huius societatis, cum istiusmet societatis institutum sit divini sacramenti cultum fovere et promovere, decrevit ut haec officia interim suspendantur et redditus qui supersunt, adimpletis oneribus et solitis impensis, quibus haec societas subest, impendantur in suppellectilibus comparandis pro cultu eiusdem augustissimi Sacramenti, cum praesertim suppellectiles vel non extent vel, si extant, minus [57] decentes sint, et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit altare beatae Virginis Mariae, quod in postrema visitatione dicitur consecratum, modo vero, cum sit raedificatum, habet portatile. Est marmoreum et habet in loculo sub crystallis imaginem eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculptam et est de ratione societatis ipsius beatae Virginis Mariae, a qua manutenetur. Societas praedicta habet redditus librarum 512.14.11, ut in pollicea exhibita, in fine huius libri posita sub littera H; pro quibus redditibus habet onera ut constat ex libro supracitato “1692 – Registro de Legati et cetera” pagina prima, videlicet: pro legato quondam Andreae Todeschi aut Marioni, ex eius testamento 23 februarii anni 1611 in actis domini Hieronymi Salarini notarii, pro capitali ducatorum centum, tenetur quotannis celebrari facere unum officium pro anima eiusdem testatoris. Dum affrancatum fuit illud capitale, accepit haec societas tantummodo ducatos 80, pro quibus exigit modo in ratione quinque cum dimidio pro centenario, scilicet libras 27.4 circiter et satisfacit oneri solvendo domino archipraesbytero libras 26.4 pro duobus officiis missarum quatuor singulis; nam adimplet etiam pro societate Corporis Christi cui, unitim cum praedicta societate beatae Mariae Virginis, relictum fuit onus praedictum. Item, pro legato quondam Iulii Prati ibidem descripto ad paginam 3, quo reliquit huic societati capitale ductorum centum, cum onere celebrari faciendi unum officium missarum sex et erogari unum minale frumenti in pane redacti intervenientibus et praesentibus [57^v] praedictis missis et officio, cum recognitione massario societatis unius ducati, quando hoc officium celebratur, ut adimpleat hoc legatum societas, ut apparet ex libro “1705 – Intrata et uscita della Compagnia della Beata Vergine” impendit in adimplendo hoc legato libras 34 circiter. Item, pro legato quondam Petri Pasini quondam Iacobi dicti Aldi qui, in suo testamento diei 31 iulii 1680 in actis Hieronymi Salarini notarii, instituit suorum bonorum haeredes societatem hanc et societatem Corporis Christi nec non rectorem ecclesiae Sancti Pancratii, cum onere singulis praedictis haeredibus celebrari faciendi quatuor officia; quapropter haec societas pro parte suae haereditatis quotannis adimplet oneri sibi iniuncto faciendo celebrari quatuor officia missarum quatuor pro quoque. Item, ex eodem libro “Registro et cetera” folio 7, tenetur haec societas, ex legato quondam Franciscæ Cappelletti relictæ quondam Antonii Cena, celebrari facere unum officium pro medietate redditus librarum undecim et solidorum trium denariorum; nam aliam medietatem huius redditus reliquit beneficio societatis eiusdem et nihilominus haec societas impendit libras 13.2 in celebrari faciendo pro dicta obligatione officium missarum quatuor, ut apparet ex libro superius laudato “1705 – Entrata et Uscita et cetera”; tenetur haec societas ex eodem libro “1692 – Registro et cetera” folio 9, celebrare facere iuxta legatum quondam dominae Evae filiae quondam Ioannis Antonii Aliprandi, ut ex eius testamento diei 22 augusti 1630 in actis domini Iacobi Bernardi notarii, unum officium missarum [58] decem pro capitali ducatorum centum, eidem relicto. Tantumdem eadem testatrix reliquit suprascriptae societati Corporis Christi et cum eodem onere. Ex libris societatis beatae Virginis apparet adimpleri hoc onus non integre, cum reggentes celebrari faciant officium tantummodo missarum sex. Item, pro legato quondam Antonii Cena, in eius

testamento diei 11 augusti 1631 in actis dantis Vulpini notarii descripto in praedicto libro resgitro pagina 11 tenetur celebrari facere unum officium quotannis missarum quatuor, pro quo officio nunc Societas impendit libras 13,2 ut constat ex libro 1705 entrata et uscita et coetera. Ex legato quondam Ioannis Iacobi de Rossi in eius testamento diei 21 maii 1631 in actis domini Iacobi Bernardi Notarii descripto in praedicto registro folio 13. Tenetur quoque celebrari facere unum officium Missarum quatuor quot annis pro capitali a se relicto ducatorum triginta. Nunc Societas haec celebrari facit officium missarum sex pro hac obligatione et impendit libras 17.6 et constat ex libro 1705 intrata et uscita et coetera. Item ex legato quondam nobilis domini Marchionis Corradi Malaspina in eius testamento et codicillis dierum 14 et 17 octobris 1581 in actis Andreae Benini Notarii, ut constat ex dicto libro Registro folio 15 quibus reliquit huic Societati Capitale in summa ducatorum centum, et quinquaginta cum onere celebrari faciendi quatuor officia, videlicet unum prima quarta feria martii in ecclesia Caprini Missarum duodecim [58v] cum obligatione distribuendi unum saccum panis praesentibus eidem officio . Aliud secunda quarta feria eiudem mensis in Ecclesia Sancti Ioannis de Lubiara Missarum quatuor cum obligatione despensandi praesentibus eidem um minale panis. Aliud tertia quarta feria missarum quatuor in Ecclesia Rivolarum cum dispensatione ut supra minali panis . Quartum denique in quarta feria quarta eiusdem mensis Missarum quatuor cum praedicta dispensatione in Incanalis . Assignavit Massario pro tempore unum ducatum pro sua mercede. Huic Societati anno 1644 die 17 Ianuarii a nobili Marchione Ioanne Antonio Malaspina medio instrumento in actis domini Francisci Bresaola notarii fuit facta assignatio affectualium ad summam redditus annui L. 61.3 prout describitur in praecitato libro Registro et coetera et haeredes praedicti nobilis Testatoris tribuunt minalia sex frumenti. Societas tamen, ut ex libro 1705 intrata et uscita apparet, impendit pro officio primo troni 29.18, pro secundo troni 13.2, pro tertio troni 13.12, pro quarto troni 16.14, pro mercede massarii troni 6.4 ex quibus coalescit somma tronorum 79.10, unde impendit tronos 18.7 supra quantitatem sibi assignatam. Idem ex eodem libro registro confronta folium 18 ex legato quondam Dominici Olivetti in eius testamento diei 16 augusti 1630, rogato in actis Iacobi Bernardi Notarii tenetur celebrari facere in anno unum officium missarum octo pro eius anima. Haec [59] societas, quae una cum Societate Corporis Christi insolidum obtinuit hoc legatum, insolidum quoque tenetur adimplere. Verum cum capitale relictum fuerit afrancatum cum ducatis quinquaginta et fuerit reinvestitum in bonis Angeli Zuccalmalei et cum fideiussione quondam Iuliani Bernardi, evenit, ut ob aliquam incuriam processus contra praedictum Angelum amissus fuerit, et exinde neque a principali, neque a fideiussore per viam iuris curatum sit exigere redditum, et excutere debitores, unde cum tamquam inexigibilis existimetur redditus iste omissa fuit adimpletio oneris ut supra instituti. Item ex praedicto libro registro et coetera folio 20; et ex legato Iacobi Zanetti quod tamen ibidem non describitur, haec Societas solet impendere libras novem in celebrari faciendo sex missas ut apparet ex libro cittato 1705 entrata et uscita. Ex eodem libro registro folio 22, et ex pia dispositione Antonii quondam Baptistae Vanin ibidem descripta tenetur haec Societas celebrari facere tot Missas, quot celebrari possunt ex redditu tronorum 9.6 pro capitali ducatorum 25 donatorum a praedicto Vanino huic eidem Societati. Quamvis haec Societas possideat praedictum Capitale investitum in bonis Bartholomaei quondam Simoni Scala et sit identifucum cum illo, quod donatum fuit cum praedicto onere, ut apparet ex libris foris inscripto 1622, nimi d'affittuali della Compagnia della Beata Vergine et cetera folio 6 et folio 61 nihilominus omisit et omittit adimplereonus iniunctum, ut constat ex libro [59v] 1705 entrata et uscita et coetera. Item ex legato quondam Donati Salvetti disponentis pro se et pro Elisabeth Rumiani et suorum Auctorum descripto in praedicto libro registro folio 24 tenetur celebrari facere unum officium missarum duodecim, quod adimplet, cum possideat capitale ducatorum centum ex quo percipi fructum et impendit quot annis tronos 29.18, ut in libro 1705 entrata et uscita et coetera.. Illustrissimus et Reverendissimus dominus dominus Episcopus iuris superius descripti obligationibus consideratisque considerandis omni meliori modo et cetera monuit Reggentes Societatis praedictae Beatae Virginis Mariae ut adimpleant oneri imposito a quondam domina Eva Aluprandi iuxta eiusdem ineri institutionem celebrari faciendo officium Missarum decem, non vero Missarum sex. Quoad vero obligationem ex legato Ioannis de Rossi

reduxit numerum Missarum celebrandarum in officio instituto ab eodem Rossi ad quatuor iuxta intentionem ipsius. Cum autem in adimplendo onere quod ex pia dispositione quondam Nobilis omni Marchionis Corra di Malaspina constet Societatem impendere tronos 18. 7 ultra redditum sibi assignatum ideoque monuit Reggentes eiusdem Societatis ut de hoc doceant nobiles Haeredes eiusdem nobilis domini Marchionis Corradi ad hoc ut suppleant quatenus et cetera si non suppleverint de iure excipiendi et coetera sibi resservavit decernere quid quid et coetera. Quoad vero onus relictum ex legato quondam Dominici Olivetti monuit Reggentes ipsius Societatis eorumque et successorum [60] conscientiam oneravit, qui ante Tribunal Christi de ommissione de qua monentur reddituri erunt rationes, ut per viam iuris curent omni studio capitale recuperare et redditus pro hac obligatione restituere ad hoc ut adimpleatur piae dispositioni praedicti Benefactoris, sibi esservans quatenus et cetera decernere quidquid et cetera. Quod onus iniunctum ab Antonio Vanino monuit eosdem Reggentes ut suppleant ommissioni missarum, et celebrari faciant tot missas quot celebrari possunt iuxta vires redditus relictis, et ita et coetera omni et coetera. Retro ipsum altare vidit locum in quo suppellectiles et utensilia servantur pro ornamento imaginis Beatae Mariae Virginis et eiusdem altaris, quaeque descripta sunt in policea exhibita, et in fine huius libri posita ad litteram H. Visitavit altare Sancti defendentis marmoreum cum portatili et icone depicto de ratione huius Communitatis Caprini a qua de omnibus manutenetur in quo nullam missarum obligationem adesse assertum fuit. Altare Beatae Mariae Virginis a Rosario marmoreum cum portatili et icone depicto de iure Societatis sub eodem titulo a qua manutenetur. Haec Societas instituta fuit cum facultate procuratoris et Vicarii Generalis Ordinis Praedicatorum sub datum Romae diei 4 Aprilis 1609 et habet redditus librarum 239.3, ut apparet ex libro Scodarolo, qui incipit ab anno 1731 exhibito a domino Paulo Casali Reggente eiusdem Societatis. Huiusmodi redditus relictis [60v] fuerunt a quondam Blasio quondam Michaelis de Biasi huius loci in suo testamento diei 4 Iulii 1630 in actis Hieronymi Gelmetti notarii cum onere celebrari faciendi tres missas in hebdomada in altari quod ex suis bonis iussit construi sub titulo Rosarii. Ad praesens Cappellanus pro hac officatura, ut assertum fuit, est Reverendus Dominus Ioannes Baptista Casali, qui supplet huic oneri et exigit a Societate eleemosynam tronorum 234 in anno Cum ex libris Societatum huius Ecclesiae cognoverit impedi aliquam partem reddituum in eleemosynis erogandis, ac in Visitatione huius ecclesiae observaverit cultum praesertim erga divinum Sacramentum non ita decenter quoad suppellectiles peragi ideoque hortatus est Reggentes earumdem Societatem ut id quod erogant in eleemosynis convertant in comparandis necessariis apparamentis praesertim pro cultu eiusdem Sacramenti. Ingressus subinde in Sacristiam, circum quam sunt armaria disposita et ex nice confecta in quibus servantur vasa et suppellectiles Sacrae descriptae in policea exhibita ab admodum Reverendo Archipresbytero, et in fine huius libri posita ad litteram H, quas visitavit viditque calices, patenas, missalia, caeteraque apparamenta ad Sacrum faciendum necessaria. Visitavitque denique retro altare maius chorum nuper erectum ex Sacerdotum huius Plebis eleemosynis decenti forma et ornate constructum, in cuius prospectu extat imago Christi Iesu Crucifixi, quae maxima veneratione ab huius Plebis [61] Parochianis collitur, viditque etiam ipsum altare retro non esse clausum. Hisce absolutis in aedes Parochiales se se recepit, et absque cibo quievit. Die Veneris prima mensis Maii 1744. Ilustrissimus et Reverendissimus Dominus Dominus Episcopus ad Parochialem Ecclesiam antedictam regressus in ea Sacrosanctum Missae Sacrificium celebravit, eoque absoluto, ducentis circiter utriusque sexus Christifidelibus Eucharisticum panem praebeuit ac centum circiter Sacro Chrismatis oleo in fronte signavit. Dum haec agerentur Reverendissimus Dominus Pro Vicarius Generalis una cum me notario se contulit ad visitanda Oratoria infrascripta, et primum. A margine San Carlo di Gaone. Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Caroli, alias Sanctorum Rocchi et Sebastiani in contrata Gaoni infra limites Plebis Caprini de ratione ipsius Viciniae a qua de omnibus manutenetur. Unicum habet altare marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in gradibus ligneum, in reliquis partibus ex muro constructum. Oratorium hoc habet redditus tronorum 141.1 ut constat ex libro affictualium ipsius ecclesiae a Vicinia praedicta tradito Andreae Comensini Massario sub die 16 iulii 1742 ibidem exhibit, viso et restituto. Reggentes huius Viciniae ex consuetudine antiqua, quae coniiciunt eosdem

redditus subesse obligationi missarum, unam Missam quacumque hebdomada in hoc Oratorio [61v] celebrare facere consueverunt. Anno vero 1734 die 12 septembris ipsi Reggentes medio instrumenti in hac Curia existentes assignaverunt fructum ducatorum 22 Venerabili Clerico Ioann Baptistae Pachera filio Iacobi, cum onere celebrandi unam missam quaque hebdomada iuxta testamentarias dispositiones ibidem assertas quinimo hanc assignationem ipsi fecerunt et constituerunt in partem eius Patrimonii, quo titulo ordinibus maioribus fuit initiatus ad hoc ut perpetuo ipse fuerunt eodem fructu, et substineret idem onus salvis conditionibus ibidem expressis. Praedictus reverendus dominus Ioannes Baptista Pachera ex quo ordinatus fuit sacerdos huic oneri satisfecit, sed conquestus est eo quod duobus ab hinc annis non accipit redditus sibi assignatos quamvis non omiserit celebrationem missarum quapropter Reverendissimus Dominus Pro Vicarius Generalis monuit Reggentes ut iuxta obligationem assumptam vel solvent quod debent, vel cedant nomina affectualium ipsi Sacerdoti, ad hoc ut ipse ab affectualibus exigat redditus, salvo iure Vicinae se compensandi de expensis factis in exigendis fructibus, aut servandis capitalibus, aut resarciendis affectualibus pro gravedinibus in casibus et coetera et ita et coetera. Vedit et visitavit apparamenta, et vasa ad Sacrum faciendum neccessaria de quibus in policea exhibita, et in fine huius posita ad litteram H quae servantur in armario ex nuce retro altare in loco pro Sacristia, quam etiam visitavit. Ordinata. Exequatur ordinata facta in visitatione anni 1710 de claudendo [62] altari a lateribus – patena retro auro vel argento liniatur – missali addantur missae recentiores sanctorum – providetaur de pelvi pro urceolis. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santa Eurosia di Balcon di Rubiana] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sanctae Eurosiae virginis et martyris intra limites plebis Caprini, quod erectum fuit auctoritate episcopali a familiis contratae Balconi et a familiis existentibus superius, iuxta montem in loco dicto *Dal Dosso de Tononi et Goino*, a quibus familiis manutinetur. Unicum habet altare marmoreum cum portatili, decenti forma constructum. Visitavit retro altare chorum et in eo apparamenta et vasa sacra ad missae sacrificium neccessaria, de quibus sufficienter provisum esse invenit. Ordinata. Portatile providetaur de tela cerata qua cooperiatur omnino – providetaur de planetis, cum suis manipulis, stollis, velis ac bursis violacei, nigri ac viridi colorum et missali pro mortuis – subtus altare vel claudatur vel aedificetur armarium quod occupet totum locum vacuum, in quo repponantur apparamenta – ponatur genuflexorium cum tabella praeparatoria ad missam – erigatur super muros huius ecclesiae campanile et in eo ponatur unica campana - [62v] removeatur sepes quae est prope muros oratorii, ita ut circum ipsum liber pateat additus, ne occupetur privato iure locus religiosus. Quibus habitis et cetera. [A margine. San Giovanni Battista di Boi] Visitavit subinde oratorium publicum sub titulo Sancti Ioannis Baptistae in contrata *di Boi* nuncupata, infra limites plebis Caprini, de iure nobilis domini comitis Almerici Cattarinetti, filii nobilis domini comitis Tancredi et nobilis dominae comitissae Iuliae Nogarola iugalium, quae successit in iure huius oratorii nobili familiae de Nogarolis, vigore scripturae transactionis diei 13 iulii 1691 et subsequentis transactionis diei 3 martii 1728, secutae inter nobilem dominum comitem Galeotum Nogarola et nobilem dominam comitissam Magdalenam Nogarola et eundem dominum comitem Almericum Cattarinetti. Unicum in eo est altare, marmoreum in mensa, cum portatili et icone ex ligno depicto ac antipectile ex tela quoque depicta. Exequuta fuit ordinatio facta in visitatione anni 1710 circa sacristiam; nam altare translatum fuit cominus portam ecclesiae et relictus est locus retro idem altare pro usu sacristiae, ubi est armarium cum apparamentis, descriptis in policea exhibita et in fine huius libri posita sub littera H. In hoc oratorio instituta fuit officitura perpetua a quondam Ioanne dei Santi quondam Bartholomaei de Pesina, in eius codicillis diei 23 iulii 1661 in actis domini Sebastiani Ferrarini notarii, exhibitis, visis et restitutis, in quibus reliquit duas tertias partes suae facultatis, ad hoc ut perpetuis temporibus pro medietate fructus provenientis ex iisdem duabus tertiis partibus tot missae celebrarentur [63] in hoc oratorio et pro alia medietate tot etiam missae celebrarentur in oratorio Sancti Rocchi, infra limites Pesinae, ita tamen ut sacerdos, qui celebrat in oratorio isto Sancti Ioannis missas, sit satisfactionis domini archipraesbyteri plebis et ille celebraturus in oratorio Sancti Rocchi sit satisfactionis domini rectoris Sancti Galli de Pesina, declarando ut missae celebrentur in utroque oratorio quarta et sexta feria nec non sabbatho cuiusque hebdomadae ante ortum solis, pro

comoditate laborantium in campanea et omnium qui vellent missam audire; quod, si redditus excederent onus praedictum, voluit ut impenderentur in celebrari faciendo alias missas in diebus ferialibus cuiuscumque hebdomadae et, si adhuc supersint fructus, ordinavit ut, ex illis, missae celebrarentur diebus festivis iuxta ordinem praescribendum ab archipraesbytero Caprini et rectore Pesinae; sin autem redditus non sufficerent ad celebrandas missas constitutis tribus diebus in hebdomada, facultatem idem codicillator impertitus est suis commissariis minuendi missas et alterandi, ita tamen ut, ex omnibus redditibus, purificatis a gravaminibus, tot missae celebrentur quot poterunt celebrari iuxta modos supra descriptos. Redditus huius officiatorum ex capitalibus relictis a praedicto codicillatore, quae sunt ducatorum 447 tronorum 2.2, ad praesens consistunt in summa tronorum 152.9; nam dominus comes Almericus Cattarinetti, huius oratorii patronus, sua pietate motus, dum commissarii vocati a testatore negligebant administrare hanc rem, [63^v] instetit ut ipse decerneretur commissarius eiusdem pie dispositionis et decreto vicarii praefectitii Veronae 1737 exhibito, viso et restituto, decretus fuit commissarius, unde sic egit ut ipsa capitalia exigibilia redderent, factis pluribus causis contra debitores, quos propriis sumptibus excussit servavitque ipsa capitalia intacta et redditus ut supra, quoad officiatorum assignatam huic oratorio. Haec ipsa officatura assignata fuit reverendo domino Marco Cattalocca sub die 19 augusti 1734, in partem sui patrimonii ut in actis huius curiae et ex ratificatione in eadem curia facta sub die 20 februarii 1737 a praedicto nobili domino comite commissario. Cum vero redditus non sufficiant ad adimplendam piam dispositionem pro tribus diebus in hebdomada, praedictus nobilis dominus comes Cattarinetti, iuxta facultatem a codicillatore commissariis impartitam, minuit numerum missarum, faciendo celebrare tantummodo duas missas in hebdomada in hoc oratorio, scilicet quarta et sexta feria, erogando manuaelem eleemosynam triginta solidorum pro quaque missa. In loco praedicto pro usu sacristiae constituto vidit adesse ianuam per quam ab oratorio egreditur in viridarium de ratione praedicti nobilis domini comitis Almerici Cattarinetti interrogavitque qua de causa vel quo iure pateat ipsa ianua et responsum fuit ex neccessitate ianuam patere, cum aliquando torrens proximus ita aquis redundans e montibus descendat ut [64] alveum ipsius superet et per viam publicam perfluat, ita ut non possit ingredi per ianuam maiorem ipsius oratorii; quapropter, cum in visitatione anni 1710 de hac eadem re interrogaverit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus eademque causa proposita fuisset, non inhibuit usum huius ianae privatae neque aliquid decrevit in actis eius visitationis, sed usum huiusmodi tolleravit. Qua responsione audita et neccessitate quae aliquando occurrit considerata, viso loco torrentis observatisque eius effectibus et viam publicam in qua plurima saxa conspiciuntur ab ipsomet torrente aquarum vi deposita, decrevit et concessit usum ipsius ianae privatae, stantibus rebus prout stant et ita et cetera, omni et cetera. Ordinata. Addantur missali missae recentiores sanctorum et provideatur de novo missali mortuorum. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santa Cristina di Ceredel] Visitavit denique publicum oratorium sub titulo Sanctae Christinae virginis et martyris, da ratione communitatis Ceredelli, infra limites plebis Caprini, a qua comunitate Ceredelli de omnibus manutenetur. Unicum habet altare, marmoreum in mensa cum icone depicto; imago vero eiusdem sanctae Christinae apparet in vertice ipsius altaris, facta ex muro et gypso. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed haec communitas [64^v] pro sua devotione et comodo celebrari facit missam diebus festis et, accedente domino archipraesbytero plebis Caprini, diebus quibusdam statutis, dum ab eodem missa celebratur, communitas ista illi erogat eleemosynam. In cornu evangelii visitavit sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra pro celebratione missae neccessaria, descripta in policea exhibita et in fine huius libri posita sub littera H. Vidit campanile, in quo una tantum extat campanula. Visitavit etiam coemeterium proximum, in quo pro defunctis oravit. Hoc oratorium visitantibus in die festo sanctae Christinae concessa est indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 8 maii 1738, in hac curia viso die 12 iunii eiusdem anni. Ordinata. Exequatur ordinatio in visitatione 1710 de portatili providendo, quod aptetur rite in hoc altari intra bimestre, aliter hoc ipsum altare suspensum sit – portatile provideatur de tela cerata qua cooperiatur. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, administrato Confirmationis sacramento, in aedes parochiales se se recepit, prandium

sumpsit et parumper quievit. Die antedicta prima maii 1744 post prandium. Congregatis iam in ecclesia pueris et puellis pro exercitio doctrinae [65] christianae, illustrissimus et reverendissimus antistes in ecclesiam eandem descendit adoratoque divino Sacramento, visitavit scolam ipsam doctrinae christianae et per varias interrogationes factas tam pueris et puellis quam adultis circa mysteria fidei aliaque neccessaria scitu per admodum reverendum dominum archipraesbyterum, omnes bene edoctos esse cognovit comendavitque propterea diligentiam et attentionem tam ipsiusmet domini archipraesbyteri quam ceterorum operariorum illosque hortatus est ut operi tam neccessario ad aeternam salutem attentius dent operam, mercedem a summo Deo recepturi. Oblatos subinde libros ipsius scholae vidit et visitavit ipsamque ex iis bene et iuxta regulas congregationis generalis doctrinae christianae Veronae regi comperuit. Dimissa scola doctrinae christianae, pontificalibus indutus biscentum circiter utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte signavit. His expletis, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum [a margine: San Pancrazio] visitavit publicum oratorium seu simplicem ecclesiam Sancti Pancratii, quae olim – ut fertur – fuit parochialis ecclesia quaeque manenetur a mensa dominorum clericorum huius plebis. In hac ecclesia est benefitium cum onere coadiuvandi in cura animarum huius loci, cuius rector ad praesens est reverendus dominus Franciscus Maronea, vigore litterarum huius curiae diei 17 septembris, quas ostendit et recognitae eidem fuerunt restitutae. [65^v] Rector huius ecclesiae habet onus celebrari faciendi quatuor officia missarum quatuor, iuxta testamentariam dispositionem descriptam in visitatione societatis beatae Mariae Virginis parochialis huius loci; nunc autem reverendus rector celebrari non facit nisi unum officium missarum quatuor, eo quia – ut asseruit – ad maiorem officiorum quantitatem non teneri credidit, cum praesertim ipse contribuat societati Beatae Mariae Virginis praedictae unum ducatum de grossis triginta uno et alium societati beatae Virginis Mariae Pesinae. Verum, cum monitus fuerit ut adimpleat vel doceat quatenus et cetera respondissetque se curaturum ut cognoscat praecisam suam obligationem, promittens quamprimum se praesentaturum coram sua illustrissima et reverendissima dominatione cum documentis ex quibus dignoscatur quanta sit eius obligatio, eadem dominatio sua illustrissima et reverendissima decrevit quidquid et cetera et ita et cetera. Item tenetur, ex livello perpetuo quod percipit ab heredibus quondam Georgii Zuccalmaleo tronorum 37.4 celebrare missas viginti quinque, iuxta assertum decretum huius curiae anni 1722. Tenetur etiam celebrare – ut asseruit – missas decem et septem ob livellum tronorum 24.16, quem percipit a domino Bartholomaeo Zuccalmaleo, haerede quondam Marcelli eius patris. Habet etiam obligationem celebrandi vel faciendi celebrari duas missas in anno in ecclesia contratae Vilmezani de Pazzono, intra limites Pazzoni ob livellum tronorum 7 et quartarum quinque castanearum, quem exigit ab Antonio et fratribus Gradizzi. [66] In hoc oratorio unicum est altare, marmoreum in mensa cum portatile et gradibus item marmoreis, in reliquis ligneum. Feminae in hac ecclesia docentur in doctrina christiana. Ordinata. Obturentur rimulae portatilis – fenestella quae est retro altare muniatur spera vitrea – aptetur rete ferreum fenestrae quae est in hoc oratorio a parte epistolae. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santo Sepolcro] Visitavit subinde publicum oratorium erectum auctoritate episcopali, ut ex mandato die 26 ianuarii 1645, ibidem viso et restituto, sub titulo Sancti Sepulcri, de ratione societatis confratrum Mortis et Orationis, canonice institutae et aggregatae archiconfraternitati Mortis et Orationis de Urbe, ut recognitum fuit in visitatione 1710, a qua hoc oratorium manenetur. Situm est intra limites plebis Caprini et duo habet altaria, quae vidit et visitavit: maius scilicet marmoreum cum portatili et icone depicto, in quo nulla est addicta obligatio missarum. Altare beatae Virginis Mariae marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis, super muro depicta et sub crystallis servata. In hoc altari nullam adesse obligationem missarum assertum fuit. Extat super gradus a candelabris huius altaris posita custodia mermorea, quae clauditur valva ferrea cum duabus clavibus, quae servari solent a superiore huius societatis. [66^v] Vidit et visitavit sacram reliquam quae custoditur in praedicta custodia, scilicet de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in parva cruce crystallina fillograna argento inaurato circum scriptam et ornatam sigillo et litteris patentibus eminentissimi et reverendissimi domini vicarii generalis almae Urbis Prosperi Marefuschii diei 16 februarii 1731 munitam, quae cum

adhuc non fuisset recognita in hac curia episcopali, iussit illustrissimus et reverendissimus praesul ut in forma recognitio fiat stantibus documentis suprascriptis et deinde illam rite veneratus est, adhibito thurre sibi oblato a reverendo archipraesbytero Caprini superpelliceo et stola induto. Retro altare maius aedificatur a pietate confratrum chorus, in quem locum ingressus illum visitavit viditque ipsum recto ordine construi. Locus ipse est etiam pro usu sacristiae et suppellectiles sacrae pro missae sacrificio et pro cultu eiusdem oratorii servantur in armariis existentibus in eodem loco, quae descriptae sunt in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram H. Vidit duo confessionalia mobilia, quae in hoc oratorio posita fuerunt et ibi servantur de licentia domini archipraesbyteri Caprini. Vidit apparamenta, inter quae extat pixis argentea et ostensorium ex cupro inauratum interrogavitque illustrissimus et reverendissimus antistes quando pixide sacerdotes utantur et quando et quomodo fiat expositio Sacramenti cum praedicto ostensorio; a reggentibus responsum fuit cappellanum uti pixide quoties confluit confratrum concursus, ita tamen ut, facta eorum [67] communione, si reliquae sunt particulae consumentur. Expositionem autem fieri in die octava commemorationis Mortuorum et cum hoc Sacramento populo benedici a domino archipraesbytero; servari autem ea occasione Sacramentum ipsum in custodia marmorea in qua custoditur reliquia sanctae Crucis. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus prohibuit ne hoc Sacramentum ulla occasione servetur in ea custodia sub poenis et cetera; quoties autem servandum est, dominus archipraesbyter comode tabernaculum ligneum, aptandum in altari maiori iis occasionibus tantum, vel confratres comparent tabernaculum huiusmodi, collocandum tantumodo occasionibus praedictis, non vero aliis diebus vel temporibus, quo in casu impertitus est facultatem praedicto domino archipraesbytero illud benedicendi, servatis ritibus et cetera idque omne concessit sine praeiudicio iurium parochialium, declarando clavem eiusdem tabernaculi semper servandam esse paenes ipsum dominum archipraesbyterum et ita et cetera, omni et cetera. Confratres huius societatis habent vestem propriam nigri coloris lineam et conveniunt omnibus diebus festis ad hoc oratorium, recitaturi officium beatae Virginis Mariae aliasque preces iuxta eorum institutum. Altare maius huius oratorii est privilegiatum pro animabus confratrum in die commemorationis Defunctorum, singulis diebus intra illius octavam ac feria sexta cuiuslibet hebdomadae, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 9 augusti 1741, hodie in hac curia episcopali viso et approbato. [67v] Visitantes hoc idem oratorium in die festo Inventionis sanctae Crucis fruuntur indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 9 augusti 1741, in hac curia episcopali hodie approbato. Societas praedicta habet redditus – ut constat ex libro Scodarolo nuncupato, qui incipit ab anno 1742 – tronorum 106.15 et quartarum quinque frumenti, praeter eleemosynas quas contribuunt confratres. Tenentur ipsi confratres celebrari facere infra octavam commemorationis Defunctorum quotannis et in perpetuum missas octo, vigore donationis factae a quondam domina Margarita Caldera, uxore Petri Bonuzzi, ut ex instrumento donationis diei 15 septembris 1682 in actis domini Antonii Seriatii notarii, exhibito, viso et restituto, quo donavit iisdem confratribus quandam partem petiae terrae in eodem instrumento descriptae, ad quod et cetera. Ex libro foris inscripto “Libro d’affitti della veneranda Confraternità del santo Sepolcro” in folio in eo loco ubi describuntur onera societatis pagina 3 et XI, describitur obligatio confratrum faciendi celebrari quot annis tot missas privilegiatas in secunda feria in dicto oratorio pro animabus confratrum quot – ex reddito relicto a quondam fratre Pancrazio Zumiani minore cappuccino, in suo testamento 23 februarii 1683 in actis domini Ioannis Calderoni, notarii de Bassano – celebrari poterunt. Redditus autem describitur in eodem libro in principio pagina 4, scilicet librarum 4.14.6 denariorum veronensium, quae sunt troni 6.6 currentis monetae et quartarum quinque frumenti. Cum vero confraternitas exigit huiusmodi redditum ab haeredibus quondam [68] Dominici dei Iseppi, tenentur iuxta vires eiusdem redditus adimplere oneri iniuncto. Tenetur item haec ipsa societas quot annis celebrari facere alias missas decem, iuxta dispositionem quondam Francisci Franceschini in eius testamento diei 21 novembris 1693 in actis domini Dominici Moretti notarii, ut apparet ex praedicto libro et in praedicto loco aggravii pagina 13, nunc solvit Zeno Franceschini de Lubiara Caprini praedictum afflictum. Ordinata. Portatile altaris maioris parumper elevetur, prout iussum fuit etiam in visitatione anni 1710 – una ex clavibus custodiae reliquiae sanctae Crucis

servetur a cappellano societatis et altera sit poenes ipsius superiorem pro tempore – provideatur de missali mortuorum. His absolutis, in aedes saepedictas se se recepit et incoenatus quievit. Die sabbathi 2 maii 1744. Illustrissimus et reverendissimus antistes in praedictam parochialem ecclesiam descendit in qua pia emissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium peregit; quo absoluto dimissisque sacris indumentis, visitavit totam ipsam ecclesiam de parte in partem, quae est plebs habetque clericos portionantes numero quadraginta, sufficientis structurae, immacolatae Conceptioni beatae Mariae Virginis dicata, prout fertur non consecrata, cum praecipue de illius consecratione memoria aliqua non extet subestque iurisdictioni episcopali, et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. [68^v] Vidit etiam et visitavit campanile, in quo duae sunt campanae. Vidit suggestum, in quo quadragesimali tempore, cum mandato et benedictione episcopali, concionatur omnibus diebus festis et in feriis secunda, quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae et concionator eligitur ab hac comunitate, cui erogat stipem ducatorum septuaginta. Quibus actis, in aedes parochiales regressus ac in proprio cubiculo receptus, una cum suo reverendissimo domino provicario generali pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt consiliarii huius communitatis qui, interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio munere admodum reverendi archipraesbyteri et de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hac plebe degentium et an in hoc loco adsint publici peccatores, responderunt dominum archipraesbyterum esse bonis vita et moribus, officium suum summa diligentia exercere, sacerdotes et clericos, quoad eorum notitiam est, religiose vivere nullumque publicum peccatorem existere. Admodum reverendus dominus Michael Bulgarini, archipraesbyter huius plebis, comparuit vocatus, qui, interrogatus de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hac plebe et an in hoc loco adsint publici peccatores, respondit sacerdotes et clericos, quoad sui notitiam est, recte vivere nullumque – Deo favente – publicum adesse peccatorem. Idem dominus archipraesbyter obtulit litteras apostolicas ad sui favorem expeditas anno 1707 et mandatum executivum diei 21 novembris eiusdem anni 1707 pro hac plebe nec non [69] mandatum vicariae foraneae eiusdem diei et anni, una cum libris curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum, status animarum et congregationum, quos vidit et visitavit. Comparuerunt successive, vocati: reverendus dominus Franciscus Maronea, sacerdos coadiutor aetatis annorum 60 circiter, rector benefitii sancti Pancratii huius plebis, ut ex bullis hesterna die ab eodem exhibitis. Reverendus dominus Ioseph Pachera, sacerdos annorum 40 circiter, curatus huius plebis, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 26 augusti 1743. Reverendus dominus Barnabas Zuccalmalio, sacerdos annorum 72 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 27 martii 1744. Reverendus Petrus Biroli, sacerdos annorum 62 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 17 mensis decembris anni 1743. Reverendus dominus Nicolaus Zuccalmalio, sacerdos annorum 60 circiter. Reverendus dominus Arcangelus Coltri, sacerdos annorum 60 circiter, qui fuit monitus ne accipiat eleemosynas missarum, cum habeat obligationem missae quotidianae in oratorio Sancti Ioannis Baptistae de Lubiara ut supra et ut vestiat habitu suo characteri decenti, non ita vile ut magis representet terrae fossorem quam sacerdotem, aliter et cetera. Reverendus dominus Iacobus Marconi, sacerdos aetatis annorum 49 circiter. [69^v] Reverendus dominus Ioannes Baptista Casali, sacerdos aetatis annorum 45 circiter. Reverendus dominus Nicolaus Franca, sacerdos annorum 41 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 3 iulii 1743, qui fuit ab exercitio curae animarum suspensus et canonice admonitus ut in actis criminalibus huius curiae. Reverendus dominus Dominicus Mazzola, sacerdos annorum 42, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 31 augusti anno 1743. Reverendus dominus Antonius de Massar, sacerdos annorum 38 circiter. Reverendus dominus Carolus Zuccalmalio, sacerdos annorum 34 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 15 octobris 1743. Reverendus dominus Antonius Mazzola, sacerdos annorum 31 circiter. Reverendus dominus Marcus Cattalocca, sacerdos annorum 37 circiter. Reverendus dominus Petrus de Messer, sacerdos annorum 34 circiter. Reverendus dominus Bernardus Gelmetti, sacerdos annorum 32 circiter, qui fuit canonice admonitus ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus dominus Gabriel Colpani, sacerdos annorum 30 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 22 februarii currentis anni 1744. Reverendus

dominus Ioannes Baptista Pachera, sacerdos annorum 34, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 17 augusti 1743. Reverendus dominus Paulus Salvetti, sacerdos aetatis annorum 29 circiter. [70] Reverendus dominus Ioannes Maria dalle Vedove, sacerdos aetatis annorum 31 circiter. Reverendus dominus Sebastianus Sabaini, sacerdos aetatis annorum 39 circiter. Venerandus clericus Antonius Christini, subdiaconus annorum 25 circiter. Clericus Antonius Comenzini, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 22 circiter. Clericus Ludovicus Gelmetti, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis annorum 26 circiter, cui impositum fuit dimittere vestem clericalem. Natalis Freschini, aetatis annorum 22 circiter, in habitu. Qui omnes, debito obsequio, amantissimo patri eorum mandata ordinum et ad confessiones respective obtulerunt. Venerunt subinde vocatae Margarita uxor Gratiadei Gaiter et Anna uxor Venturae Vianin, quae, examinatae tamquam obstetrices huius loci circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus necessitatis, optime instructas se se ostenderunt. Alia est obstetrix in hoc loco, scilicet Margarita uxor Bernardi Pachera, quae, cum longe hinc absit, accedere non potuit; illam tamen bene edoctam esse testatus est dominus archipraesbyter. His expletis, facta prius visitatione domus huius parochialis, prandium sumpsit et paulisper obdormivit. Die antedicta 2 maii 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus ad ecclesiam parochialem saepedictam perexit, in qua, adorato divino Sacramento, in throno [70^v] suo sedit iussitque mihi notario infrascripto publicare decretum suum infrascripti tenoris, videlicet. Decretum. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilectis nobis in Christo universis et singulis sacerdotibus et clericis huius plebis Caprini salutem et obedientiam et cetera. Boni pastoris, qui animam suam pro suis ovibus posuit easque errantes ut inveniret nulli labori aut vitae incomodo pepercit, monitis et exemplo nos excitati, ad hanc commissi nobis gregis partem, licet a sede nostra difficili itinere dissitam, accessimus, ut hasce oves cognosceremus illaeque nos, earum pastorem, cognoscerent ac iisdem aeternae vitae pascua praeberemus et, si inter illas aliquae essent quae errarent vel periclitarentur, nosmet ipsi iisdem praesto essemus atque ad ovile nostrismet manibus reduceremus vel miseris a mortis periculo verbo vitae ac sacramentis amoveremus. Dum vero hoc officii nostri munus hisce diebus in hac plebe insigni ageremus, ipsis oculis vidimus qua charitate populus iste coniungeretur nobis quoque desiderio et studio suum pastorem cognosceret, ex quo in nobis cor nostrum summo gaudio affici experti sumus eaque consolatione quae susceptos omnes labores superavit, cum praesertim petentibus alacrique animo cupientibus caelestem Panem distribuimus aut eos Spiritus Sancti dono confirmavimus [71] ipsosque eidem divino Spiritui templa immortalia dicavimus. Dum vero frequentissimum hunc populum sana doctrina instructum puerosque ipsos non modo praecipua fidei divinaeque legis principia cognoscere, sed de illis ultra eorum aetatis conditionem loqui atque respondere audivimus ordinemque observavimus quo christianam istud institutum hic peragitur, conforme scilicet legibus quas praedecessores nostri tradiderunt, summas Deo immortalis egimus gratias, qui huic vineae operarios dedit a quibus ita studiose et attente populus iste ad bene beateque vivendum dirigatur, laudandam in primis admodum reverendi archipraesbyteri curam censuimus eiusque sedulam operam, qua parvulis caelestem Panem ita frangit ut ab iis gravissima mysteria et discantur et quantum per humanam conditionem fieri potest intelligantur. Cum autem ad vos ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei oculos nostros convertimus, mundos vos esse, sed non omnes, cognovimus. Utinam ecclesiae cultus ritusque sancti a nullo parvi penderentur! Utinam huius plebis pastoris exemplo vos omnes moveremini ad christianam doctrinam populo assidue et adposite tradendam curamque omnem et studium impenderetis, ut divinae theologiae sapientia cuiuscumque mens imbueretur qua alios – quod vestrum est officium – instruere possetis ac vosmet disceretis verba vitae aeternae lepramque a lepra distinguere et a laxis disciplinaeque evangelicae [71^v] contrariis sentiis abhorreere! Omnes vos Deo ac ecclesiae mancipati fuistis: cur aliqui fortasse non ambulant in vita immaculata, ut Deo ministrent, aut non induunt iustitiam ut, omni saeculi coeno mundati, ad populum mundandum se se praeparent, ut omnium vestrum opera luceant hominibus, quibus coelestis eorum Pater glorificetur? Quapropter, etsi plerique vestrum in officio se

contineant, cum tamen vestri ordinis numerum multiplicatum videmus, multiplicatam nostram laetitiam minime sentimus; cum lacrimis igitur unumquemque vestrum monemus, hortamur et obsecramus ut divinum sacrificium rite sancteque offeratis, hoc divinum ministerium non agentes ut artem de pane lucrando, sed veluti actum nostrae christianae religionis praecipimus, quo summus ac omnipotens Deus a fidelibus colitur et placabilis ostia eidem offertur nostraeque copiosae redemptionis memoria renovatur. In celebrandis autem divinis huiusmodi sacrificiis, ut diebus praesertim festis ordo servetur praecipimus et ut campanae, quotiescumque celebrantur, antea pulsantur ut, hoc indicio, populus ad illa conveniat. Quoties autem alia ecclesiastica officia peragentur, ad illa quisque vestrum celebranda et decenti habitu et attenta devotaque mente accedat, ut virum ecclesiasticum decet, ac praesertim sacros ab ecclesia praescriptos ritus, ut pars una officii aliam veluti non penetret, sed partes omnes eiusdem iuxta ecclesiasticas caeremonias distinguantur. Vos, qui in sortem Domini vocati [72] estis, orationi attendere verbisque Dei predicationi oportet. In id igitur praesertim incumbite, ut sedulam operam in christiana doctrina docenda incumbatis, cui muneri, cum sommo animi nostri maerore, plurimos inter vos deesse comperuimus. Otium vestro religioso sanctoque instituto omnino adversatur, quod, si vini ciborumque saturitati coniungatur, omnis in eo iniquitas timenda est, ut Sodomae accidit et sororibus eius. Locus autem, qui ab huiusmodi fonte derivat et a quo homo divino cultui addictus sacris legibus arcetur, a vestra prorsus conversatione absit. In omnibus itaque praebere vos ut Dei ministros cavete ne, daemonis pompas et opera sectando, ministerium vestrum vituperetur sanctique estote quia Deus, cui ministratis, sanctus est. Si quis ex vobis nostris hisce monitis non obedierit, dignas poenas se daturum noverit ac praesertim, si quis sine talari veste missam celebraverit aut conventicula ad alearum aut huiusmodi ludos ex professo parata aut conducta adierit et in iis luserit, quacumque vice haec peregerit, sit a divinis suspensus, ut nunc pro tunc suspensum declaramus. Nemini facultas audiendi confessiones a nobis vel ab iis qui generales vices nostras gerunt concedetur aut confirmabitur aut aliquid indulgebatur, nisi ipse testimonium, iuramento firmatum, a praessidentibus huic scholae doctrinae christianae iuxta episcopales constitutiones de eius diligentia et frequentia eiusdem scholae detulerit. Praecipimus et, in virtute sanctae obedientiae, iubemus ut quisque vestrum admodum reverendo domino archipraesbytero huius plebis praeposito, ut [72] decet, honorem et obedientiam praestet, qui redditurus est rationem aeterno Iudici de animabus vestris quique, ut parochus et vicarius foraneus, de vestra conversatione nobis testimonium reddere tenetur, ante tribunal eiusdem Iudicis, de custodia huius plebis ac de vestra salute curanda, cuius sollicitudini a nobis commissa est, si neglexerit poenas daturus. Volumus etiam ut, quoad chori atque ecclesiasticarum functionum praecedentiam, ille servetur ordo qui a nobis in decreto die 18 decembris 1734 constitutus fuit. Satagite igitur vos sacerdotes, gens sancta et genus hominum electum, qui gregis istius nostri portio illustrior estis, ut perfecta charitate qua omnis lex adimpletur huic populo praefulgeatis nobisque sitis gaudium et corona. Copiosae mercedis praemium vobis remunerator Dominus promisit si, ut boni eius ac fideles servi, in talentis quae accepistis operati eritis et ex iis conveniens lucrum exhibueritis. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum et Spiritus eius in vobis maneat. In quorum fidem et cetera. Datum in pastorali nostra visitatione plebis Caprini die 2 maii 1744. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio pastoralis visitationis notarius.

Quo publicato factisque infrascriptis ordinationibus, iterum divinum Sacramentum adoravit et cum recitatione *De Profundis* huius plebis, cleri et populi visitationem in Domino absolvit. Ordinata. Amoveatur sterquilinum quod est ante portam coemeterii et solum adaequetur ita ut ibidem fovea nulla sit - [73] in coemeterio et in ea parte quae est iuxta domum de ratione oratorii Sancti Pancratii purgetur locus ab immunditiis, quae cum religionis, ac pietatis dedecore et villipendio ab hominibus irreligiosis ibidem congeruntur et dominus archipraesbyter curet ne deinceps id comitatur, moneatque populum ut abstineat ab hoc scandalo perpetrando – abradantur herbae e coemeterio, comburantur, illarumque cineres in eodem spargantur, et semper abrasae teneantur – muri qui sunt circum ipsum coemeterium attolantur et restaurentur – intus amygdala ita confecta sit ut nullae sint eius partes scabrae, sed planae omnino – conopeum pixidis fiat prolixius, ut tegat pixidem usque ad infimum eius pedem – provideatur de pixide minori pro communicandis infirmis, ut maior remaneat in tabernaculo cum Sacramento, ad hoc ut in ecclesia iugiter sanctissima Eucharistia veneretur et populi neccessitati succurri possit – valva oculi oleorum sanctorum vestiatur intus

panno serico violacei coloris et super ipsam sculpantur haec verba: *Olea Sancta* – fiat capsula pro vase ex stamno olei infirmorum nec non duae bursae pro duobus vasibus praedicti olei infirmorum ex panno serico violacei coloris – in apice ciborii fontis baptismalis erigatur imago sancti Ioannis Baptistae – rimae circumquaque obturentur intus ciborium ipsum et in eius soffictu – conopeum novum ex serico, seu ex medio serico coloris [73^v] violacei, quod tegat et ciborium et fontem ipsum, provideatur - a loco baptisterii ammoveantur ea omnia quae ad baptismi sacramentum non pertinent – removeantur scamna quae sunt proximiora confessionalibus, ad hoc ut non sit periculum audiendi, a circumstantibus genuflexis in iisdem scamnis, poenitentium confessiones – in iisdem confessionalibus ponantur a parte poenitentium, ubi opus est, imagines devotae et a parte confessoriorum pagella casuum resservatorum ab ipsomet illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo – crates confessionalis positi subtus suggestum a parte dextera ipsius ita firmetur ut facile manu inde removeri non possit – novum construatur confessionale ponendum in loco aptiori huius ecclesiae, ut consulatur comodo mulierum ad confessionem accedentium – spacio unius mensis provideatur altare maius de portatili ad mensuram canonicam et in eodem altari rite aptetur et operiatur tela cerata idem portatile, quo spacio elapso et huic ordinationi non parito, nunc pro tunc idem altare suspendit et suspensum declaravit – provideatur de figura Resurrectionis, ponenda in apice tabernaculi tempore paschali – portatile altaris beatae Virginis Mariae provideatur de tela cerata qua contegatur eiusque rimulae obturentur – super arcum cappellae ipsius altaris ponatur umbella, quae sit supra altare et sacerdotem celebrantem - [74] attolatur parumper portatile altaris sancti Defendentis et tela cerata contegatur illiusque rimae obturentur – obturentur rimulae circum portatile altaris beatae Virginis Mariae a Rosario et operiatur tela cerata – inauretur intus calix quem illustrissimus et reverendissimus praesul suspendit eiusque patena a tergo auro aut argento liniatur – duobus missalibus aptetur canon novus et uni addantur missae recentiores sanctorum – comparentur duae saltem mappae pro altari maiori – provideatur saltem de tribus pelvibus pro urceolis – provideatur de planeta cum suis stola, manipulo, bursa et velo viridi coloris nec non de paramento in quarto variorum colorum nec non de paramento in quarto violacei coloris et de pluviali saltem nigri coloris – provideatur de una alba pro diebus solemnioribus, item de tribus aliis pro ferialibus cum suis cingulis et amictis nec non de octo corporalibus cum suis pallis – in sacristia ponatur tabella obligationum huius ecclesiae nec non societatum existentium in hac ecclesia, iuxta decreta et declarationes in hac visitatione constitutas – provideatur in sacristia de duabus saltem vestibis talaribus – instituatur liber missarum, in sacristia semper servandus, in quo omnes et singuli sacerdotes celebrantes scribant, quacumque vice celebrant, suum nomen et pro qua intentione celebraverint, ita ut a reggentibus societatum, vel ab [74^v] non solvantur ipsis eleemosynae nisi ibidem, ut supra, non scripserint nomen – appendatur scitula super labrum quod existit in loco contiguo sacristiae ex qua depluat aqua ad manus sacerdotum abluendas et ibidem sit manutergium – altare maius retro claudatur – scamna, si quae sunt in hac ecclesia parochiali quae sit impedimento aut sacrificio missae aut sacerdotibus audientibus confessiones, aut exercitio doctrinae christianae, amoveantur – in libro renatorum describatur hora nativitatis et in illo congregationum describantur casus cum suis definitionibus – cum illustrissimus et reverendissimus praesul observaverit locum qui est iuxta muros exteriores ecclesiae, proximus portae per quam ascenditur in suggestum, immunditiis scatere, ut latrina potius videatur quam locus religiosus, ordinavit ut locus ipse mundetur, deinde vel muro vel pariete lignea claudatur, ne adsit occasio huiusmodi actus irreligiosos committendi.

Egressus e parochiali ecclesia Caprini receptisque a domino archipraesbytero huius plebis, clero principalioribus loci et populo devenerationis et obsequii argumentis, paratum equum conscendit et, praecedentibus loci militibus ac sacerdotibus, subsequente vero suo comitatu, ad parochialem ecclesiam Sancti Galli de Pesina iter direxit. Ad confinia salutatus fuit tam a militibus plebis Caprini recedentibus quam ab illis Pesinae advenientibus [75] frequenti scloporum explosione istisque praeceuntibus, iter suum prosecutus est. Non procul a praedicta parochiali Pesinae obvias habuit scholas doctrinae christianae et confratrum sancti Gregorii, suis cappis indutorum et clerum processionaliter incedentes divinasque laudes decantantes talique ordine ad aedes parochiales usque pervenit, in quibus a domino archipraesbytero, clero et loci principalioribus obsequii testimoniis acceptis, absque cibo obdormivit.

[A margine: PESINA] Die dominico 3 mensis maii 1744. Facto mane omnibusque in ecclesia dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad portam aedium parochialium venit, in quibus super pulvinaribus stratis genuflexus, sub baldachino a sex loci principalioribus gestato receptus, crucem sibi oblatam a reverendo rectore pluviali induto adoratus et deosculatus est; clero subinde praecedente et solita decantante, ecclesiam parochialem adiit, in cuius limine sistens, aqua lustrali aspergillo accepto ab eodem reverendo rectore, se signavit, populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus, divinum Sacramentum adoravit recitataque interea oratione titularis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, concessit. Mox ad thronum sibi decenter paratum venit sumptisque ibidem violacei coloris sacris indumentis, pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem contiguo, quod etiam visitavit, exequias persolvit. [75^v] Depositis violaceis indumentis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius positum in pixide argentea in cupa, intus inaurata et pede cupreo, in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi tute servatum. Sub hac cura sunt animae a communione 468, in totum vero 706. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam et ostensorium argenteum radiatum nec non suppellectiles pro decenti associatione huiusce Sacramenti ad infirmos rite instructas. Hoc idem Sacramentum statutis temporibus renovatur; cum eodem fit processio in die Corporis Domini; expositio vero in quaque sexta feria mensis martii et diebus dominicis a festo sanctae Crucis mensis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis mensis septembris expensis comunitatis ex eius devotione. Dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dantur signa in sero et publicantur indulgentiae assiciantibus concessae. Communicatis in Paschate schedae distribuuntur ac subinde colliguntur. Reverendus rector, parendo mandatis, obtulit polliceas requisitas, cum edictis, quas ego notarius recepi et in fine huius libri posui ad litteram I. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit ac circiter utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Reposito sanctissimo Sacramento, sacerdotalibus indutus vestibus sacrosanctum missae sacrificium celebravit eoque absoluto, centum [76] circiter utriusque sexus christifideles communicavit. Actis Deo optimo maximo gratiis, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo perunxit. Posthaec in aedes parochiales receptus, prandium sumpsit et quievit. Die antedicta 3 maii 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in antedictam parochialem ecclesiam descendit adoratoque divino Sacramento, pontificalibus indutus supra sexcentum utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. His actis, iam defatigatus in aedes praedictas restitutus, in proprio cubiculo se se recepit et incoenatus obdormivit. Die lunae 4 maii 1744. Facto mane huius diei, illustrissimus et reverendissimus praesul ecclesiam parochialem antedictam adiit, in ea sacrosancto missae sacrificio oblato, quampluribus utriusque sexus christifidelibus augustissimum Eucharistiae sacramentum praebeuit. Congregatis interea pueris, puellis et operariis scholae doctrinae christianae pro eiusdem sancti operis exercitio, eidem incubuit ac per diligens examen variasque interrogationes per reverendum rectorem eisdem factas circa fidei misteria aliaque neccessaria ad aeternam salutem, illos omnes optime edoctos, non sine animi sui laetitia, esse cognovit comendavitque summam diligentiam ac attentionem ipsiusmet reverendi rectoris caeterorumque operariorum, quos maxime eidem exercitio operam dare hortatus est, mercedem aeternam a Deo optimo maximo recepturos. [76^v] Oblatos subinde libros ipsius scholae visitavit, ex quibus ipsam iuxta regulas generales doctrinae christianae Veronae regi et gubernari cognovit. Dimissa schola doctrinae christianae, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte perunxit. Posthaec visitavit olea sancta et eorum vascula stamnea in capsula ex nuce sub sera et clavi, in loculo ad id parato in cornu evangelii altaris maioris, sera et clavi munito, rite servata et tute custodita. Olea praedicta sancta recipiuntur a plebe Caprini, sed tertio quoque anno accipiuntur a plebe Gardae. Vidit fontem baptismalem, in loculo ad id parato iuxta ianuam maiorem ecclesiae, in cornu epistolae altaris maioris, cancellis ferreis septum, sera et clavi munitis, rite instructum. Duo quoque vidit confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis utriusque sexus christifidelium sacramentalibus confessionibus, rite confecta. Visitavit subinde

altare maius, cum portatili marmoreum recenter aedificatum ex industria et pietate reverendi rectoris, confluentibus piorum eleemosynis. Huic altari erecta est societas sanctissimi Sacramenti, a qua providetur de suppellectilibus ac luminibus pro veneratione eiusdem Sacramenti quoties defertur ad infirmos, quae suppellectiles describuntur in pollicea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram I. [77] Haec societas habet redditus tronorum 304, ut constat ex pollicea ab exactore eiusdem societatis exhibita, in fine huius libri posita sub littera I. Huius societatis onera apparent ex tabella posita in sacristia huius ecclesiae parochialis, cuius exemplar exhibitum et in fine huius libri sub dicta littera I positum fuit. Cum vero ex depredatione esterorum militum, in principio huius saeculi secuta, monumenta etiam istius societatis deperdita fuerit memoria praedictorum onerum, servatur tantummodo in praedicta tabella et ex continua consuetudine, qua eadem onera adimpleta fuerunt, ipsamet societas perseverat in satisfaciendo huiusmodi suis obligationibus. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo reverendus rector celebrat et diebus festis applicat pro populo. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum cum imagine eiusdem beatae Virginis a Rosario ex ligno sculpta, sub crystallis servata, circum quam depicta sunt misteria eiusdem Rosarii, de iure societatis infrascriptae sub eodem titulo Rosarii, a qua de omnibus manutinetur. Huic altari erecta est societas sanctissimi Rosarii, quae habet redditus tronorum 621.16, ut in pollicea ab exactore eiusdem societatis exhibita et in fine huius libri sub littera I. Ipsius autem obligationes, ob depredationem superius reccensitam, tantummodo relevantur a tabella posita in sacristia huius ecclesiae, cuius exemplar exhibitum infra sub dicta littera positum est et ex consuetudine qua continuo eiusdem oneribus, ut in tabella ipsa, [77^v] adimpleverunt. Altare sancti Ioannis Baptistae, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum, de ratione nobilis familiae de Nigrellis veronensis, a qua de omnibus manutinetur. In hoc altari est officiatura ex legato quo nobilis familia praedicta Negrelli aggravata fuit, cum obligatione celebrari faciendi missas singulis diebus festis de praecepto et sabbathi, pro qua nobiles domini comites Aloysius et fratres de Nigrellis solvunt stipem ducatorum triginta in anno cappellano, qui ad praesens est reverendus dominus Augustinus Braga, cui – ut assertum fuit – assignata fuerat in partem eius tituli et pro quo nunc adimplet reverendus dominus Andreas Braga. Pro hac officiatura sunt suppellectiles asservatae in sacristia huius ecclesiae quaeque descripta sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera I. Vidit in hoc altari capsulam cum crystallis, in qua extant ex ossibus – ut supra ipsa ossa describitur – sanctorum Honesti, Victoris, Severi et Candidi; cum tamen eadem capsula nullo sigillo munita sit et ultro aperiatur nulloque documento constet de autenticitate harum reliquiarum, eas removendas ordinavit ab hoc ipso altari, ne deinceps publice venerationi exponantur. Visitavit sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra, de quibus in polliceis exhibitis et in fine huius libri sub littera I repositis viditque armarium ex nuce, in quo paramenta collocantur, quod ita vetustate abrutum est ut tute [78] apparamenta in illo custodiri non possint. Vidit apparamenta etiam pro altari sancti Ioannis Baptistae. Visitavit subinde, retro altare maius, chorum nec non campanile, in quo duae sunt campanae. In hac parochiali ecclesia adest officiatura instituta a quondam Iacobo Trevisani anno 1713 die 4 maii in actis domini Gratiadei Vivaldi notarii, in quo institutor ipse iussit ut eligeretur ab admodum reverendo rectore huius ecclesiae parochialis pro tempore sacerdos qui celebrare debeat, singulis diebus festis de praecepto nec non votivis huius communitatis, primam missam adveniente die, cum onere iniuncto eidem sacerdoti assistendi functionibus parochialibus in dicta ecclesia, pro quibus obligationibus reliquit, iure legati et in perpetuum, quasdam petias terrae in eodem testamento descriptas, declarans tamen quod, si filius Bartholomaei Pozzo ordinaretur sacerdos, praeferatur omnibus eligendis. Quapropter, cum reverendus dominus Innocentius Pozzo, filius praedicti Bartholomaei eo sacro ordine initiatus fuerit, ipse vocatus interrogatus fuit an piae dispositioni praefatae satisfecerit responditque anno 1721 circiter ipsum institutorem declarasse suam dispositionem praedictam reducendo missas ut supra constitutas ad unam missam quacumque hebdomada celebrandam in die festo; fassus etiam est se per aliquot annos omisisse celebrare, sed ex causa quod fructus huius officiaturae impenderit in recuperandis via iuris capitalibus eidem [78^v] officiaturae obnoxiiis. Super quibus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus monuit ipsum reverendum

Pozzo ut doceat de secunda dispositione praedicta, quam asseruit et de bona causa ob quam omiserit celebrare ut supra missas, sibi resservans et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Quibus peractis, in aedes parochiales receptus prandium sumpsit et paulisper somno se dedit. Die antedicta 4 maii 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo domino suo provicario generali in proprio cubiculo pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt massarius et consilarii huius communitatis Pesinae, a quibus sumpsit informationes de vita, moribus et diligentia in proprio ministerio tam reverendi rectoris, quam sacerdotum et an in hac paroecia adsint publici peccatores et de omnibus bene relatum fuit nullumque publicum peccatorem – Dei gratia – existere asseruerunt. Successive comparuit vocatus admodum reverendus dominus Laurentius Madice, civis veronensis, rector huius beneficii, quod obtinuit anno 1727 et obtulit bullas ad sui favorem relaxatas ab hac curia et mandatum executivum sub die 5 iulii 1727; obtulit etiam libros huius curae anumarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos illustrissimus et reverendissimus praesul vidit et visitavit. Interrogatus subinde idem reverendus parochus [79] de vita, moribus, servitio ecclesiae et honestate sacerdotum, et an in hac paroecia sint haeretici vel de haeresi suspecti aut publici peccatores, respondit sacerdotes honeste vivere nullumque haeticum, de haeresi suspectum vel publicum peccatorem – Deo dante – in hac ipsa paroecia existere. Venerunt etiam soccessive vocati: reverendus dominus Ioannes Baptista Marogna, sacerdos aetatis annorum 47 circiter cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 3 iulii 1743. Reverendus dominus Ferdinandus Gelmetti, sacerdos aetatis annorum 54 circiter. Reverendus dominus Ioannes Paulus Pachera, sacerdos annorum 35 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 3 mensis iulii 1743. Reverendus dominus Innocentius Pozzo, sacerdos aetatis annorum 45 circiter, qui fuit a divinis suspensus ut in actis criminalibus huius curiae. Reverendus dominus Adreas Braga, sacerdos annorum 34 circiter. Reverendus dominus Angelus Simoncelli, sacerdos aetatis annorum 41 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 27 septembris 1743. Reverendus dominus Petrus Brunelli, qui ad praesens est in dioecesi brixiensi cum dimissorialibus huius curae – ut fuit assertum – et ideo vocatus non comparuit. Reverendus dominus Iulianus Tinelli, sacerdos annorum 37 cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 16 aprilis 1744. [79^v] Reverendus dominus Ioannes Franciscus Pachera, sacerdos aetatis annorum 34 circiter, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 3 iulii 1743. Qui omnes, debita deveneratione, eorum mandata ordinum, et ad confessiones respective amantissimo praesuli obtulerunt. Philippus Franca, Petrus Pierobelli, Zeno Trentini et Ioannes Baptista Boni, consilarii antedicti, exposuerunt ab immemorabili tempore consuevisse hanc communitatem, una cum suo reverendo rectore accedere processionaliter ad ecclesiam Beate Virginis Mariae de Pulo semel in anno eaque occasione gestari a puellis quae sunt in hac paroecia imaginem beatae Virginis Mariae. Quatuor aut quinque ab hinc annis praedictum eorum reverendum rectorem suasisse ut in hac ipsa occasione non gestaretur ipsa sacra imago, qua de causa supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut sua auctoritate dignaretur declarare an perantiquus usus praedictus esse deinceps adhibendus; ipsi enim sapientiae et auctoritati sui pastoris omnino se subiiciunt. Quibus auditis, vocatus admodum reverendus rector interrogatusque fuit cur ita suaserit; respondit cum processiones ex ecclesiae instituto fiant, ut Deo cultus ubique agatur ac praesertim ista, quae ad Christi Domini Matris ecclesiam acceditur ut, ipsa intercedente, avertantur flagella quae populus pro peccatis suis meretur, occasione vero gestandi a puellis imaginem sacram praedictam cum quaedam observasset [80] ipse, quae neque cultui divino decent nec placabilem reddunt divinam iustitiam; ideo, hisce motus, putavit et religioni convenire et pietati populi ut gestatio suprascripta omitteretur; caeterum omne suum iudicium protestatus est submittere iudicio suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, quam divina providentia sibi et populo veronensi concessit magistrum. Illustrissimus et reverendissimus antistes, auditis supplicationibus hominum huius communitatis et intentione admodum reverendi rectoris, considerata religione et ritu huiusmodi processionis nec non iis ob quae ipsemet reverendus rector iudicavit ommittendam gestationem imaginis sacrae praedictae, decrevit et declaravit deinceps etiam ommitti debere,

stantibus rebus prout stant et ita et cetera, omni et cetera. Comparuerunt deniquae, vocatae, Margarita uxor Antonii Zanetti et Sancta uxor Camilli Ferrarini, obstetrices huius loci, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, sufficienter instructas se se ostenderunt. His actis, se contulit cum suo comitatu ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum [a margine: Sant'Antonio Abbate] visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Antonii Abbatis, de ratione venerandi seminarii episcopalis Veronae, a quo de omnibus manutenetur. Unicum in eo est altare, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum, cum icone depicto. |80^v| In hoc altari est officiatura unius missae in hebdomada celebrandae a sacerdote eligendo a reverendo rectore eiusdem venerandi seminarii et nunc adimplere debet reverendus dominus Angelus Simoncelli, sacerdos huius loci et adimplere facit per reverendum Nicolaum Franea. Ordinata. Elevetur parumper portatile et provideatur de tela cerata qua cooperiatur nec non rimae quae circum ipsum sunt omnino claudantur – antipectile pingatur et in medio eius sit imago devota – provideatur altare de quatuor candelabris ex auricalco, de quatuor vasibus cum floribus et de pulvinaribus – crux quae est in altari ex auricalco purgetur et munda teneatur – removeatur ex altari imago sculpta sancti Antonii abbatis – mundetur icon et cooperiatur tela, ut servetur – umbella super altare reparetur et ornetur in eius corona – gradus a candelabris renoventur et colore pingantur – aedificetur sacristia in loco ubi nunc est stabulum, de quo infra dicetur – tectum ecclesiae sarciatur et reparetur, ita tamen ut domum Dei decet, non reppresentans pecudum caula – fenestrae ecclesiae speris, ramatis et valvis ligneis muniantur – provideatur de planeta nigri coloris et restituantur huic ecclesiae ea apparamenta quae dicuntur hinc translata fuisse – patena retro auro liniatur - |81| super tectum ecclesiae nihil ab affictualibus vel aliis ponatur et omne quod est repositum omnino ammoveatur – stabulum contiguum ecclesiae demoliatur et alio transferatur aedificandum – ante ecclesiam sterquillinium nunquam ponatur. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Rocco] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Rocchi, infra limites parochialis Pesinae, de ratione confraternitatis infrascriptae Suffragii seu sancti Gregorii, a qua de omnibus manutenetur. Duo in eo sunt altaria, maius scilicet marmoreum cum portatili et icone depicto, in gradibus ligneum cum antipectile ex chorio inaurato. In hoc oratorio est societas sanctissimi Suffragii, quae aggregata fuit archiconfraternitati sanctae Mariae de Suffragio almae Urbis anno 1673 die 27 augusti, ut ex diplomate exhibito, viso et restituto, in hac curia recognito die 17 septembris anni praedicti. Hoc oratorium visitantes in die festo sancti Valentini fruuntur indulgentia plenaria, ut ex brevi ad septennium dato die 19 ianuarii 1740, in hac curia recognito. In hoc ipso altari maiori est obligatio duarum missarum in hebdomada, quae adimpletur a reverendo rectore parochialis ecclesiae huius loci, iuxta piam dispositionem quondam Ioannis di Santi, de cuius testamento facta fuit mentio in visitatione oratorii Sancti Ioannis *di Boi* intra fines plebis Caprini et reverendus rector exigit redditus a dicto testatore relictos, qui modo sunt ducatorum 24 circiter ex duobus |81^v| capitalibus, quorum alterum est investitum in bonis domini Caietani Lavezari, alterum in bonis Laurentii Ferrari. Societas praedicta habet redditus tronorum 94.8, ex quibus adimplet onus missarum duarum in anno per reverendum dominum Ioannem Paulum Pachera eius cappellanum, qui etiam celebrat diebus festis iuxta intentionem confratrum, qui ex devotione concurrunt ad stipem illi erogandam. Vidit et visitavit confessionale quod clauditur sera et clavi et clavis ista remanet semper paenes reverendum rectorem, a quo, quoties occurrit, confessiones ibidem audiuntur vel ab alio sacerdote misso seu electo ab eodem reverendo rectore, cui idem reverendus rector tradit praedictam clavem. Vidit etiam sacras reliquias, nempe ex sacris ossibus sancti Clementis papae et martyris in reliquiario ligneo argento linito, sigillo ac litteris eminentissimi et reverendissimi cardinalis Ruffo, archiepiscopi Ferrariae, diei 14 ianuarii 1733, in hac curia recognitas die 3 septembris 1737; ex sacris ossibus sancti Valentini martyris, in parva theca ovata ex auricalco, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini Francisci Corrarri, patriarchae Venetiarum diei 10 februarii 1739 munito, in hac curia recognitam die 9 februarii 1740; ex ossibus sancti Maximi martyris, in reliquiario ligneo repositam, sigillo et documento huius curiae diei 9 februarii 1725 munitam, quae iterum, cum sigillum aliquantulum esset abrasum, fuit sigillo huius curiae munita. Altare beatae Virginis Mariae, marmoreum in mensa cum portatili, in |82|

reliquis ligneum, cum imagine beatae Mariae Virginis in muro depicta, sub crystallis servata et antipectile ex chorio inaurato, de iure societatis praedictae, a qua de omnibus manutinetur. Retro altare maius vidit locum sacristiae et in eo apparamenta et vasa sacra, descripta in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera I. Confratres praedictae societatis induunt vestem albam lineam, cum capuccio laneo nigri coloris. Vidit denique supra ianuam maiorem huius oratorii locum in quo confratres praedicti conveniunt diebus festis de praecepto ad officium beatae Virginis Mariae aliasque preces, iuxta eorum institutum persolvendas. Ordinata. Portatilia altarium praedicti oratorii cooperiantur tela cerata – provideatur altare maius de baldachino, quo altare ipsum et sacerdos celebrans contegantur – provideatur de missali romano et de missali pro mortuis – patena retro argento liniatur. Quibus actis, ad aedes parochiales antedictas regressus, in proprio cubiculo se se recepit et incoenatus quievit. Die martis 5 maii 1744. Summo mane illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam parochialem antedictam petiit adoratoque divino Sacramento, ipsam de parte in partem visitavit, quae non est consecrata et sancto Gallo abbati dicata viditque in ea suggestum ex quo, cum mandato [82^v] et benedictione episcopali, concionatur quadragesimali tempore diebus festis et quaque singula sexta feria martii et concionator eligitur ab hac communitate, cui erogat stipem ducatorum triginta. Subest hoc beneficium iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. His actis factisque infrascriptis ordinationibus, oravit pro defunctis et suam pastorem visitationem ecclesiae, cleri et populi Pesinae, in Christi nomine clausit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur earumque cineres in eodem coemeterio spargantur et semper abrasae servantur – destruatur vel saltem obturetur locus in eodem coemeterio existens prope cappellam nobilium de Nigrellis, ad hoc ut additus non pateat ad ibidem deponenda imunditias, immo ab imunditiis purgetur – inauretur clavis tabernaculi vel fiat argentea – vestiatur intus tabernaculum panno serico albo – pingatur super ostium ipsius tabernaculi imago Domini nostri Iesu Christi – provideatur de baldachino – provideatur de figura resurrectionis, ponenda in apice tabernaculi tempore paschali – portatile altaris maioris provideatur de tela cerata qua cooperiatur – ab utraque parte altaris sancti Ioannis Baptistae ita claudatur muro vel asseribus ut retro ipsum a nullo ingredi possit - [83] portatile ipsius altaris sancti Ioannis Baptistae elevetur, iuxta ordinationem in visitatione anni 1710 et supra idem altare ponatur umbella, ut ipsum et sacerdos celebrans omnino tegantur – novum armarium construatur, in quo apparamenta decenter collocari possint et in eo tuto modo custodiri – provideatur de tribus mappis pro altari maiori ut, quoties occurrit mundari illas quae in eo existunt, altare mappis non careat – provideatur de duabus albis, cum suis cingulis et amictibus pro diebus ferialibus et de alia cum cingulo et amictu pro diebus festis; de planeta cum suis stola, manipulo, velo ac bursa nigri coloris; de planeta versicolorum pro diebus festis; de pluviali violaceo et alio albo – sarciantur alia apparamenta quae sarciri oportet – super labrum ponatur vas marmoreum, ex quo depluat aqua ad abluendas manus sacerdotum – provideatur sacristia de cruce cum crucifixo – in libro baptizatorum exprimat hora nativitatis – in libro status animarum addatur aetas cuiuscumque parochiani et an sit confirmatus et communione capax – in libro matrimoniorum et in qualibet partita declaretur facultas seu episcopalis dispensatio a publicationibus, cum expressione diei et anni eiusdem dispensationis – in libro mortuorum exprimat causa mortis.

Receptis subinde a reverendo rectore, clero et principalioribus loci [83^v] de Pesina devenerationis et gratiarum argumentis, paratum equum ascendit et, praeerantibus loci militibus, subsequente vero suo comitatu, ad parochialem Affii versus iter contendit. Ad confinia obvius habuit reverendum rectorem parochialis ecclesiae Sancti Petri in Vinculis de Affio, cum suo clero et populo, eorum praesulem devenerantes dimissisque ibidem militibus Pesinae et praecedentibus illis de Affio, iter suum prosecutus est. Non procul a parochiali, praesto ei fuit scola doctrinae christianae Affii praedicti, quae processione ordine servato praeibat, laudes divinas decantando et cum hoc comitatu ad aedes parochiales Affii pervenit, in quibus receptus paulisper quievit. Exutus subinde itinerariis, episcopalibus vestibus longioribus indutus omnibusque in ecclesia dispositis, venit ad portas aedium praedictarum, in quibus sub baldachino, a quatuor gravioribus huius loci viris gestato,

receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi a reverendo rectore pluviali induto porrectam adoratus et deosculatus est cleroque praecedente et solita decantante, ad ecclesiam praedictam progressus est, in cuius limine sistens populum aqua lustrali aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius stratus, divinum Sacramentum adoravit solitisque interea decantatis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de more elargitus est. Ad thronum sibi in latere evangelii decenter paratum venit, in quo violacei coloris pontificalibus apparamentis [84] sumptis, exequias pro defunctis persolvit tam in ecclesia quam in coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit viditque in eo muros surgere pro reaedificatione huius ecclesiae iam incepta, vigore facultatis ab hac curia episcopali obtentae, quo stante nihil pro nunc ordinandum esse censuit. In ecclesiam restitutus, violaceis depositis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucaristiae sacramentum, in pixide argentea in cupa intus inaurata, in reliquis ex cupro inaurato et in tabernaculo ligneo sub sera et clavi – quae est argentea – rite servatum et tute custoditum. Reverendus rector obtulit polliceas in mandatis huius visitationis requisitas, quas ego notarius recepi et in fine huius libri reposui ad litteram L. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam, ostensorium argenteum omnesque suppellectiles neccessarias pro decenti associatione huius Sacramenti quaeque descriptae sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera L. Ex factis perquisitionibus, habuit hoc Sacramentum debitis temporibus renovari; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero, indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua associatione adsunt suppellectiles, de quibus providet societas ipsius Sacramenti piorum eleemosynis; in Paschate communicatis schedas distribui et subinde colligi; sub hac cura adesse animas a communione 319, in totum [84^v] vero 476 nullumque inconfessum – Dei gratia – existere. Hoc ipso Sacramento expositionem fieri diebus dominicis et quaeque sexta feria mensis martii, quadragesimali tempore ac etiam diebus dominicis tempore Adventus piorum eleemosynis; processionem autem fieri in die Corporis Domini, eius octava ac singula quaque tertia dominica mensis. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit et nonnullos utriusque sexus christifideles communicavit. Sacrum postea fecit et aliquot alios etiam eucharistico Pane refecit. Visitavit posthaec vascula maiora oleorum sanctorum ex stamno, in capsula ex nuce sera et clavi munita et in loculo in cornu evangelii altaris maioris sub sera et clavi custodita, quae olea recipiuntur a plebe Cisani. Vidit et visitavit etiam vascula minora, scilicet oleorum Chrismatis et cathecumenorum, quae sunt ex stamno et vasculum olei infirmorum ex auricalco. Visitavit fontem baptismi, in loco iuxta ianuam maiorem a parte evangelii altaris maioris positum, rastris ligneis, sera et clavi munitis, clausum. Duo vidit confessionalia stabilia et alterum mobile, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. In duobus loculis, positus alterum a parte evangelii alterum a parte epistolae altaris maioris, adsunt ibidem custodita duo vascula et una crux, in quobus continentur reliquiae [85] quae in visitatione anni 1711 fuerunt visae et visitatae, quas et ipse vidit et visitavit; sed, cum eadem sigillis careant, decrevit ut in praedictis loculis serventur, ita tamen ut numquam publicae venerationi exponantur. Reliquiam vero ex sacris ossibus sanctae Rosaliae virginis, repositam in theca stamnea ovata, cum crystallo in parte anteriori, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Mariae Arrighi, episcopi politiani diei 7 aprilis 1725 munitam, in hac curia episcopali visam et approbatam die 7 novembris 1738, recognovit et deveneratus est. Quibus peractis, in aedes parochiales se se recepit, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 8 maii 1744 post prandium. Congregatis in ecclesia parochiali antedicta per solita signa pueris et puellis pro exercitio doctrinae christianae, huic sancto operi illustrissimus et reverendissimus praesul incubuit ac per diligens examen variasque interrogationes eisdem per reverendum rectorem factas circa fidei misteria aliaque ad aeternam salutem neccessaria et omnes bene edoctos esse cognovit comendavitque diligentiam ipsius reverendi rectoris et aliorum operariorum, quos enixe in Domino hortatus est ut in hoc tam neccessario operi magis magisque in dies ad Dei gloriam animarumque salutem perseverent. Oblatos subinde sibi libros huius scholae vidit et visitavit, ex quibus iuxta regulas generales congregationis doctrinae christianae [85^v] hanc ipsam scolam regi et gubernari cognovit.

Pontificalibus indumentis vestitus, quamplures utriusque sexus christifideles sacro Crismatis oleo in fronte perunxit. Dimissis sacris vestibus, visitavit altare maius, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum, de iure huius comunitatis, a qua providetur de omnibus ac etiam de oleo pro lampade quae ardet continuo ante praedictum altare. In hoc altari est societas sanctissimi Sacramenti, quae fuit recognita tamquam canonice erecta in visitatione anni 1730. Nullos haec societas habet redditus nullaque onera, sed ex confratrum eleemosynis curat huius divini Sacramenti cultum. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, in mensa marmoreum cum portatili et icone depicto, in cuius medio est imago eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta et sub crystallis servata, circum quam depicta sunt misteria eiusdem Rosarii, in reliquis partim ex ligno partim ex muro consurgit; est de iure societatis eiusdem Rosarii, a qua manutenetur et quae fuit canonice erecta, ut recognitum fuit in postremis visitationibus. Exigit haec societas annuatim tres bacetas olei, quas eidem, iure legati, reliquit reverendus dominus Ioannes Baptista Spolverini, qui fuit rector huius ecclesiae, in suo testamento diei 16 augusti 1685 in actis domini Hieronymi Gelmetti notarii, cuius particulam autenticam dominus Dominicus Fornaroli, [86] massarius eiusdem societatis, exhibuit, quae visa fuit, restituta et cetera. Praedicti testatoris intentio fuit ut, ex eo oleo, accensa haberetur lampas ante praedictum hoc altare omnibus diebus sabbathi et in solemnitatibus beatae Virginis Mariae. Haeres gravatus – ut apparet ex instrumento permutationis et partim emptionis domini Angeli Calciolari, a domina Helisabeth Ferrari de Troianis diei 27 aprilis 1693 in actis domini Bartholomaei Vidali notarii – fuit reverendus Hieronymus Ambrosi, cuius haeres deinde fuit domina Helisabeth Ferrari quondam Francisci Troiani praedicta, quae permutavit petias terrae et cessit praedicto domino Angelo Calciolari ut in ipso instrumento permutationis exhibito, viso et restituto, cum onere solvendi quot annis legatas ut supra tres bacetas olei, quas nunc solvit dominus Franciscus Calciolari, filius praedicti domini Angeli et reggentes huius societatis adimplent piae dispositioni praedicti reverendi Spolverini rectoris. Praeter praedictum redditum, haec societas exigit – a Francisco et Dominico fratribus Bonfante, filiis quondam Ioannis Baptistae, pro capitali ducatorum centum in eorum bonis investito – redditum in ratione quinque cum dimidio pro centenariis, ut constat ex instrumento diei 21 martii 1739 in actis domini Hieronymi Gelmetti notarii, viso, lecto et restituto et cetera. Item, exigit affictum pro capitali ducatorum 50 in ratione quinque cum dimidio pro centenariis a Hieronymo Gandini quondam Ioannis Baptistae, ut ex instrumento diei 23 iulii 1716 in actis domini Ioannis Bernardi notarii, exhibito, viso et restituto. [86^v] Percipit quoque affictum pro capitali ducatorum 50 in ratione quinque cum dimidio pro centenariis, investito in bonis Ioannis Santi quondam Dominici, ut ex instrumento diei 13 aprilis 1736 in actis domini Petri Bertoni notarii, exhibito, viso et restituto. Item, affictum pro capitali ducatorum 35 in ratione quinque cum dimidio pro centenariis ab Alexio Viviani quondam Francisci, ut ex instrumento diei 27 decembris 1722 in actis praedicti domini Petri Bertoni notarii. Affictum denique percipit pro capitali ducatorum 70 in ratione quinque cum dimidio pro centenariis ab Andrea Donise quondam Dionysii, ut ex instrumento diei 13 aprilis 1739 in actis praedicti domini Petri Bertoni notarii. Qui fructus, constituentes summam tronorum 104, nulli obligationi missarum sunt obnoxii, sed impenduntur in manutentione et ornamento altaris praedicti. Viget in hoc altari perpetuum ecclesiasticum beneficium de iure patronatus nobilium dominorum de Iuliiariis, quod in visitatione anni 1711 dicitur institutum a nobili Clara Persico, cuius beneficii possessor est reverendus dominus Ioannes Baptista Pizzolari sacerdos, ut ex litteris huius curiae episcopalis et mandato executivo diei 6 augusti 1734. In hoc ipso altari est officiatura unius missae in hebdomada, ex legato ut apparet ex visitatione 1730 quondam nobilis domini comitis Antonii Persico, cui obligationi satisfit per reverendum rectorem huius ecclesiae et accipit stipem a praedicta nobile familia de Persico. [87] In hac ecclesia reverendus rector tenetur quot annis celebrare missas sex, ex legato quondam Ioannis Petri Peripoli, qui – ut apparet ex memoria scripta in libro legatorum, quem scripsit anno 1640 Ioannes Gherardus Nosioli, rector huius ecclesiae, folio 3 – reliquit reverendo rectori ipsius ecclesiae ducatos 25 de grossis, ut ex eius fructu praedictas sex missas reverendus rector teneretur celebrare. Cum vero illud capitale depositum fuisset super Montem pietatis Veronae, detractis impensis quae ea occasione occurrerunt, remansit in quantitate ducatorum 24

tronorum 5.17 et investitum fuit in bonis Catharinae Viviani relictæ quondam Francisci Bonati, in ratione quinque cum dimidio pro centenariis, ut apparet ex instrumento emptionis cum locatione diei 13 februarii 1739 in actis domini Servatoris Bernardi notarii, exhibito, viso et restituto, cui oneri satisfacit reverendus rector et percipit ex eo capitali fructum tronorum octo cum dimidio. Insuper instituta fuit officiatura perpetua a quondam Antonio Bergamini nuncupato Testa, medio eius testamenti diei 26 martii 1732 in actis domini Petri Bertoni notarii, unius missæ quolibet die festo et votivo, declarando ut cappellanus primo eligendus esset reverendus Franciscus Baldi quondam Matthæi huius loci, quo deficiente, cappellani eligantur a consiliariis huius comunitatis, cum assistentia et consensu etiam reverendi rectoris pro tempore huius ecclesiæ. Reliquit capitale ducatorum mille pro eadem officiatura, quod capitale, cum ab hæredibus ipsius depositum fuerit [87^v] super sanctum Montem pietatis, a consiliariis huius comunitatis nec non a prædicto reverendo Francisco Baldi cappellano fuit investitum in bonis domini Thomæ Paliari, cum instrumento emptionis cum locatione diei 27 februarii 1741 in actis domini Dominici Maboni notarii, ad solvendum quatuor pro centenariis prædicto reverendo Francisco Baldi, qui oneri adimplet. Altare sancti Caroli, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis ex muro constructum, de iure nobilis familiæ de Persico, a qua manutinetur. In hoc altari est societas sub titulo sancti Caroli, quæ canonice erecta est, ut apparet ex bulla Urbani papæ VIII diei 27 novembris 1615, in hac curia approbata die 31 augusti 1626; exigit affectum in ratione quinque cum dimidio pro centenariis pro capitali ducatorum 37, investito in bonis Antonii et Iacobi fratrum Santi quondam Ioannis, ut ex instrumento emptionis cum locatione diei 13 aprilis 1735 in actis domini Petri Bertoni notarii, qui affectus, una cum eleemosynis confratrum, impenditur in functionibus ad ipsam societatem spectantibus. [A margine: Imacolata Concettione] Posthæc perexit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Immaculatae Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, de iure nobilis familiæ de Persico, a qua manutinetur quodque situm est intra limites parochialis Affii. Unicum in eo vidit altare, marmoreum cum portatili et icone depicto, eleganti forma constructum. [88] In hoc oratorio nulla est obligatio missarum, sed nobili domini patroni quotidie celebrari faciunt ex eorum devotione per reverendum dominum Ferdinandum Gelmetti, sacerdotem huius loci. Vidit sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra, de quibus abundanter provisum invenit et perpolite tentum. Quibus habitis, ad aedes parochiales regressus, in proprio cubiculo se se recepit et absque cibo quievit. Die mercurii 6 maii 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in præfatam parochialem ecclesiam descendit adoratoque divino Sacramento, missæ sacrificium celebravit eoque absoluto, quampluribus utriusque sexus christifidelibus caelestem Panem præbuit ac supra biscentum Confirmationis sacramentum ministravit. Dimissis sacris vestibus, visitavit sacristiam et in ea sacra apparamenta et vasa descripta in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera L, bene tenta et rite instructa nec non campanile, in quo duæ sunt campanæ. Hisce peractis, in proprio cubiculo receptus, in eo, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt consilarii huius comunitatis Affii, qui interrogati de vita, moribus ac diligentia in proprio ministerio reverendi rectoris et sacerdotum ac clericorum hic degentium et an adsint publici peccatores, responderunt reverendum rectorem in proprio ministerio diligentem ipsumque ac cæteros sacerdotes et clericos [88^v] bonis esse vita et moribus nullumque publicum peccatorem existere. Cum vero prædicti consilarii ut supra bonum testimonium protulissent de eorum reverendo rectore, ipse illustrissimus et reverendissimus praesul, qui ex pollicea ab eodem exhibita cognovit admodum modicos proventus fuisse eidem assignatos, a quo missa etiam diebus festis pro populo celebrari debet, pro cuius eleemosyna triginta circiter ducati contribui a communitate deberent, unde ipsi rectori nisi decem circiter ducati pro sua sustentatione præterea non remaneret, monuit eosdem consiliarios et pastorali cohortatione suasit ut, cum Christus Dominus declarasset mercenarios dignos esse mercede sua, augerent proventus pro sustentatione eorum parochi, qui diu noctuque vigilat et nulli parcat labori pro eorum salute, certi se ab aeterno Remuneratore eorum liberalitatis præmium consequuturos qui ministros altaris de altari voluit. Plurimum igitur hoc eisdem comendavit illisque promisit, si eius monita exequuti fuerint, continuam de filiali eorum reverentia erga se memoriam

servaturum. Venit subinde, vocatus, admodum reverendus dominus Ioannes Invernici, rector huius ecclesiae, quam obtinuit anno 1737 praesentatus ab hac communitate, de cuius iure patronatus est haec parochialis ecclesia et obtulit litteras suae institutionis ab hac curia relaxatas et mandatum executivum diei 12 augusti 1737 nec non libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, [89] mortuorum ac status animarum, quos vidit et visitavit eosque rite instructos esse reperiit. Interrogatus deinde de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium et an hic sint publici peccatores, de omnibus recte respondit. Reverendus dominus Martinus Baldi, annorum 81 circiter, rector Gaioni, hic degens ob eius ingravescentem aetatem, domi eius nepotis, cum non modo aptus sit ad ullas functiones parochiales nec ad missam quidem celebrandam. Ipse reverendus dominus Martinus Baldi instetit coram sua illustrissima et reverendissima dominatione et exposuit se constituisse reverendo domino Francisco Baldi suo nepoti, in partem eius tituli pro sacris ordinibus, unam petiam terrae nuncupatam *Le Tontone* inter confinia descripta in instrumento patrimonii, ut supra constituti die 2 decembris 1723 et ut in ipso, in quo declaravit, quoties ipse sacerdos provisos fuerit beneficio ecclesiastico quo possit comode vivere, praedictam petiam terrae cessare debere et exinde non esse obnoxiam obligationi ut supra factae. Cum vero Antonius Bergaminus, nuncupatus *il Testa*, in suo testamento diei 26 martii 1737 in actis domini Petri Bertoni notarii, instituisset perpetuam officiatorum in hac ecclesia parochiali unius missae quocumque die festivo et votivo, pro qua reliquit capitale ducatorum mille et redditum proveniente ex eodem cumque elegisset pro cappellano eiusdem officiatorum praedictum reverendum Franciscum Baldi, qui et cappellaniam ad praesens exercet et redditus percipit, ideo constare casum evenisse [89^v] quo praedicta obligatio a se constituta cessare debeat; quapropter supplex instetit ut sua dominatio illustrissima et reverendissima dignetur decernere liberam esse praedictam petiam terrae ab obligatione patrimonii suprascripti et fructibus eius posse se uti ad sublevandas proprias neccessitates, quibus in hac decrepita sua aetate maxime laborat. Reverendus dominus Franciscus Baldi, sacerdos annorum 40, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 17 decembris 1743, quod ostendit et praedictae iniustitiae se opposuit, excipiendo capitale praedictum posse periclitari et difficili exactionis esse fructus ex eo dependentes, cum via iuris eos exigere debeat ideoque titulum suorum ordinum non esse tutum. Quibus auditis, illustrissimus et reverendissimus antistes, visis etiam instrumentis patrimonii reverendi domini Francisci Baldi supra citati, viso testamento praedicti Antonii Bergamini quo ipse reverendus Franciscus Baldi electus fuit cappellanus ad officiatorum ab eo institutam, consideratis utriusque partis instantiis et exceptionibus aliisque considerandis, decrevit, stantibus rebus prout stant, fructus eius petiae terrae assignatae in partem patrimonii a reverendo domino Martino Baldi praedicto, suo nepoti, domino Francisco percipiendos esse ab ipsomet reverendo domino Martino et ab eius successoribus, ita tamen ut, si aliquando redditus cappellaniae bergaminae non sufficerent ad congruam substantiationem praedicti reverendi Francisci, una cum aliis partibus eius patrimonii, in tali casu fructus huius petiae terrae percipiantur ab ipsomet reverendo [90] domino Francisco Baldi, donec alias fuerit provisum iuxta conditionem praedicti eius patrimonii et ita et cetera, omni et cetera. Clericus Franciscus Zorzi, annorum 21, in minoribus constitutus. Clericus Laurentius Vedovelli, annorum 20, in minoribus constitutus. Venerunt denique Magdalena uxor Petri Christini et Angela relicta quondam Benedicti Trevisani, ambo obstetrices huius loci quae, examinae circa sacramenti baptismatis administrationem in casibus neccessitatis, bene edoctas se esse prae buerunt. Posthaec prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 6 maii 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam praedictam de Affio se contulit eamque, adorato prius divino Sacramento, de parte in partem visitavit, quae non est consecrata, sancto Petro in Vinculis dicata, de iure communitatis huius loci, a qua de omnibus manutinetur et modo reaedificatur viditque in ea suggestum, in quo aliquando concionatur tempore quadragesimali et reverendus rector eligit concionatorem, qui munus suum exercet cum benedictione et mandato episcopali et percipit stipem tronorum sexaginta ex piorum eleemosynis. His actis factisque infrascriptis ordinationibus, pro defunctis oravit et visitationem huius parochialis, cleri et populi de Affio in Domino complevit. Ordinata. Fiat novum vasculum pro oleo infirmorum ex stamno, quod

[90^v] claudatur ad formam cocleae – ciborium fontis baptismalis claudatur ubi rimis patet et vestiatur conopeo longiori ex panno serico vel medii serici – suspenditur confessionale mobile donec de nova crate provideatur. Completa visitatione parochialis ecclesiae de Affio praedicto et ex ecclesia egressus, rhedam suam cum reverendissimo domino provicario suo generali conscendit et ad parochialem ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae de Cavaiono iter direxit. Quo perventus et a rheda descensus, in aedes parochiales se se recepit et in proprio cubiculo incoenatus quievit.

[A margine: CAVAGIONE] Die iovis 7 mensis maii 1744. Paratis iam in ecclesia omnibus de more, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad portas aedium parochialium Cavaioni descendit receptusque sub baldachino, a sex nobilibus viris gestato, ecclesiam parochialem praedictam adiit, in cuius limine crucem, sibi a reverendo archipraesbytero pluviali induto oblatam, adoratus et deosculatus est ac subinde aqua lustrali, aspergillo accepto ab eodem domino archipraesbytero, populo aspersit ac thurificationis honorem recepit. Ante altare maius stratus, divinum Sacramentum adoravit decantatisque interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit ac episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. Porro ad thronum sibi paratum venit in quo, violacei coloris sacris indumentis vestitus, pro defunctis ob continuam [91] pluviam in ecclesia exequias persolvit. Dimissis violaceis albisque vestibus sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea intus inaurata et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi servatum. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam nec non ostensorium radiatum quoque argenteum. Reverendus archipraesbyter obtulit policeas requisitas in mandatis praesentis visitationis, in fine huius libri positas ad litteram M. Lampadem ante hoc Sacramentum continuo ardere et sub hac cura extare animas a communione 623, in totum vero 1024 nullumque inconfessum habere. Expositionem fieri hoc ipso Sacramento quaque prima dominica mensis et ea occasione processionem fieri eodem Sacramento, prout etiam in sextis feriis martii nec non in die Corporis Domini, quae functiones fiunt expensis societatis, scilicet illae in prima dominica mensis et in die Corporis Domini; in sextis vero feriis martii impensis communitatis et rite [91^v] peraguntur. Populo subinde eodem divino Sacramento benedixit ac quamplures utriusque sexus christifideles caelesti Pane refecit. Reposito sanctissimo Sacramento, missae sacrificium celebravit, quo absoluto, visitavit coemeterium eidem parochiali ecclesiae proximum. In ecclesiam regressus, visitavit olea sancta viditque vascula maiora, in capsula ex nuce sera et clavi munita, in quibus praedicta olea sancta recipiuntur a plebe Cisani, quae vascula sunt ex stamno et eadem olea custodiuntur in custodia marmorea in cornu evangelii altaris maioris, sera et clavi munita. Vidit etiam vascula minora ex stamno eorumdem oleorum, scilicet Chrismatis et cathecumenorum nec non vasculum quoque ex stamno olei infirmorum, quod rite est elaboratum. Visitavit fontem baptismalem, in cappellula iuxta ianuam maiorem ecclesiae posita, in cornu epistolae altaris maioris, rastris ligneis septum, sera et clavi munitum. Vidit et visitavit denique duo confessionalia stabilia et alterum mobile, in hac ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Quibus peractis, in aedes parochiales receptus, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 7 maii 1744 post prandium. Congregatis in parochiali ecclesia per consueta signa pueris et puellis scholae doctrinae christianae pro huiusmodi sancti operis exercitio, eidem illustrissimus et reverendissimus praesul se praesentem obtulit iussitque ut [92] reverendus archipraesbyter illos experiretur circa misteria fidei aliaque ad aeternam salutem neccessaria omnesque facto experimento bene edoctos, non sine animi sui laetitia, esse cognovit hortatusque est ipsum reverendum archipraesbyterum caeterosque operarios ut in huiusmodi tam neccessario exercitio perseverent, a Deo optimo maximo praemium aeternum recepturos. Oblatos deinde sibi libros inspexit, ex quibus hanc scholam iuxta regulas congregationis generalis doctrinae christianae Veronae regi et gubernari cognovit. Dimissa scola doctrinae christianae, quampluribus utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Visitavit subinde altare maius, marmoreum cum portatili et icone, in prospectu chori, depicto ab excellenti pictore. Hoc altare de cereis pro sanctissimo Sacramento et de oleo pro lampade ut ante ipsum ardeat providetur – ut assertum fuit – a clericis plebis Cisani, sicut et ipsum altare. Hic est erecta societas sanctissimi

Sacramenti, quae habet redditus et onera ut infra describentur in visitatione societatis Rosarii. Altare beatæ Virginis Mariæ a Nive, marmoreum cum portatili et icone depicto, in cuius medio extat imago beatæ Virginis Mariæ, in muro depicta et sub crystallis servata, quod erectum fuit ex piorum eleemosynis, ex quibus etiam de omnibus manutinetur. Hoc ipsum altare dotatum fuit una petia terræ a domino Iacobo Castorio, [92] ut apparet ex inscriptione quae legitur in apice ipsius altaris, his verbis: “Altare ex piorum eleemosynis anno Domini 1642, quod Iacobus Castorius legato auxit”. Haec petia terræ sita est in pertinentia Cavaioni in ora dicta *Brunono*, cui cohaeret a mattina via vicinalis, a meridie via communis, a sero iura parrochialis ecclesiae Cavaioni et a septentrione Carolus Bozini, ut fuit assertum, quantitatis camporum sex circiter et conducitur a Francisco et Iacobo fratribus Reffondini, qui solvunt tronos 52.14 de livello perpetuo, cuius redditus medietas contribuitur domino archipraesbytero, qui celebrare debet missas sexdecim ut apparet ex tabella existente in sacristia et ex pollicea exhibita, infra posita ad litteram M. Exemplar autem praedictae tabellae descriptum est in visitatione huius ecclesiae anni 1711 et in calce eiusdem visitationis sub littera D, quod exemplar desumptum fuisse constat ex alia tabella caractere antiquiori scripta, cum qua collatum fuit et idem dominus archipraesbyter satisfacit oneri praedicto. Altre sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatili et icone depicto, quod est de ratione familiae dominorum de Castaneis, ut apparet ex testamento domini Caroli filii quondam domini Ioannis Antoni de Castaneis diei 2 augusti 1679, scripto ab admodum reverendo domino Alexandro Perizzoli, paroco huius loci, relevato in actis cancellariae praetoriae Veronae sub die 30 augusti [93] eiusdem anni, ibidem exhibito, viso et restituto. Huic altari praedictus dominus Carolus de Castaneis in ipso eius testamento reliquit capitale ducatorum 400, cum onere iniuncto admodum reverendo archipraesbytero pro tempore celebrandi perpetuo unam missam tertia feria cuiusque hebdomadae in suffragium eius animae. Haeredes huius testatoris cesserunt unam petiam terræ nuncupatam *Santo Antonio*, ut eiusdem petiae conductor solveret ducatos viginti quatuor in ratione sex pro centenario, prout testator iussit. Hanc petiam terræ asseruit dominus archipraesbyter nunc possidere dominum Hieronymum Bevani huius loci, a quo quot annis solvuntur pro eodem legato ducati viginti quatuor, et dominus archipraesbyter oneri adimplet missarum. Altare beatæ Virginis Mariæ a Rosario, marmoreum cum portatili et icone depicto, in cuius medio est imago beatæ Virginis Mariæ ex ligno sculpta, sub crystallis servata, quod in visitatione anni 1711 asseritur de iure familiae Montanae, sed manutinetur a societate eiusdem Rosarii, hic canonice erectae, una cum societate Corporis Christi. De canonica erectionis praefatae societatis constat ex diplomate diei 28 iunii 1728, in hac curia viso die 29 augusti 1729. Societates Corporis Domini et beatæ Virginis Mariæ a Rosario tenentur quotannis celebrari facere missas decem in mense martii et distribuere pauperibus huius loci unum saccum [93] panis frumenti et tempore famis duo tantum minalia idque ex pia dispositione Dominici Castorii, ut ex eius testamenti particula diei 7 septembris 1595 in actis Antonii a Feminis notarii autentice exhibita, visa et restituta, in quo testamento eisdem societatibus reliquit duas petias terræ ibidem descriptas quas conducunt iure livelli Petrus et Iulius fratres Tramonte quondam Iulii praetio tronorum 51.4, ut constat ex instrumento renovationis locationis diei 3 augusti 1733 in actis domini Petri Bertoni notarii, ibidem viso et restituto. Societas beatæ Virginis Mariæ a Rosario legato donata fuit a quondam Santino Galese quondam Bernardini de Volarnio de una petia terræ, descripta in eius testamento diei 13 decembris 1637 in actis domini Augustini Castanea notarii, exhibito, viso et restituto, pro qua nunc Antonius Olivetti solvit eidem societati tronos 7.4. Praedictus testator imposuit onus eius reggentibus ut ex redditu celebrari faciant quot annis et in perpetuum illas missas quae eorum bonae conscientiae videbuntur. Ex praedicta autem tabella, de qua in visitatione altaris sancti Antonii seu beatæ Virginis Mariæ a Nive dictum est, haec societas solet tres missas quot annis celebrari facere iuxta praedictam piam dispositionem. Item tenentur praedictae duae societates celebrari facere missas decem pro anima Simonis de Girardis, cuius filius Iacobus, ut praedicti eius parentis animam consuleret, cessit unam petiam terræ in contrata *delle Fontane*, cui coherebat [94] de duabus partibus via communis et ab aliis duabus dominus Iacobus et nepotes de Castaneis, ut apparet ex scriptura diei 24 februarii 1641; quae legitur in libro membrana cooperto antiquo, ubi describuntur instrumenta ipsarum societatum.

Haec petia terrae modo possidetur a Ioanne Baptista Mascanzoni et ab eius nepote, altero Ioanne Baptista, ut apparet ex instrumento locationis diei 3 augusti 1733 in actis domini Petri Bertoni notarii pro quo solvit tronos 43.4. Societati beatae Virginis Mariae praedictae Iacobus quondam Adami de Adamis reliquit capitale ducatorum centum, in parte unius petiae terrae fundatum, sitae in hoc loco et in contrata *della Prà* nuncupatae *le Coste delle Faustine* inter confinia descripta in eius testamento diei 19 augusti 1693 in actis domini Augustini Castanea notarii, ad hoc ut quot annis solverentur ducati sex de grossis, ab omni gravamine exempti, ex quo redditu tenerentur reggentes huius societatis celebrari facere in mense augusti perpetuis temporibus unum officium missarum octo, cum solitis eleemosynis, pro anima eiusdem testatoris et eius defunctorum. Hoc capitale nunc possideri a Dominico Adami asseruerunt reggentes huius societatis, a quo percipiuntur redditum ducatorum quinque de grossis. Haec societas solet, ut ex praedicta tabella, celebrari facere quot annis duo officia singula missarum quinque pro anima quondam [manca] Perazza. [94^v] Praeter redditus supradescriptos, qui oneribus superius expositis sunt obnoxii, societates haec duae quae ab iisdem reggentibus gubernantur ita ut res utriusque ministrentur ab uno gubernio, alios habent redditus sine obligationibus missarum, qui apparent ex libello a reggentibus tradito Iacobo Girardi, massario earumdem societatum, ubi resencetur affictus tronorum 7, qui exigitur ab Andrea Tofaletto nuncupato *il Frate*, alter affictus tronorum 27, qui percipitur a reverendo domino Angelo Bernardi et alter affictus tronorum 42.10, quem solvit Innocentius Tomezzoli, qui omnes redditus constituunt summam tronorum 220.12. Animadvertendum tamen est societatem praedictam Rosarii unitam fuisse alteri societati Purificationis beatae Virginis Mariae, quae in eodem altari olim tantummodo existerat et ad quem plerique redditus qui, ut supra observatum est, relictii fuerunt societati beatae Virginis Mariae spectant, ut ex instrumentis praedictis apparet. Altare beatae Virginis Mariae a Spasimo, marmoreum cum portatili et icone depicto; super gradus a candelabris, in custodia marmorea, extat imago beatae Virginis Mariae, ex ligno sculpta, sub crystallis servata. Hoc altare erectum fuit anno 1593 a nobili Lucretia et Augustino eius filio a Curte, ut apparet ex inscriptione quae legitur in basi unius columnae eiusdem altaris. [95] In hoc ipso altari erecta est societas beatae Virginis Mariae a Carmelo, recognita in visitatione anni 1711, a qua illud manutenetur de omnibus. Haec societas exigit a Ioanne Baptista Mascanzoni annuatim tronos octo ex livello perpetuo, ut apparet ex libro foris inscripto “Libro de livelli della veneranda Compagnia della beata Vergine del Carmine di Cavagion – 1738” folio 2. A Ioanne Platel exigerat tronos 155 pro capitali ducatorum 500, in ipsius bonis investito medio instrumenti diei 16 novembris 1729 in actis domini Caroli Bernardi notarii, ut ex citato libro folio 4; nunc vero est investitum ipsum capitale in bonis Antonii et Bartholomaei fratrum Alberghini quondam Ioannis Mariae, ut ex instrumento emptionis cum locatione diei 14 martii 1740 in actis domini Ioannis Baptistae Seriatii notarii, quod capitale relictum fuit iure legati a domino Carolo Castanea praedictae societati, sine ullo onere, ut ex eius testamento diei 2 augusti 1679, citato in visitatione altaris sancti Antonii huius ecclesiae supra descripta. Exigit ipsa societas a Iacobo Olivetti tronos 34.2 pro capitali ducatorum 100 in eius bonis investito, ut apparet ex praedicto libro folio 6. Huic societati a Hieronymo Tramonti quondam Antonii, huius loci, legata fuit in eius testamento diei primae iulii 1723 in actis [manca] una petia terrae broliiva in contrata *della Coperta*, ibidem descripta, cum onere [95^v] reggentibus huius societatis ut tres quartae partes redditus provenientis impendantur in faciendis celebrari sacrificiis pro eius anima in perpetuum et impendendi aliam quartam partem pro beneficio eiusdem societatis. Iacobus Olivetti, conductor eius petiae terrae, solvit ducatos quinque cum dimidio pro capitali ducatorum centum, quo extimata fuit ipsa petia terrae, ut ex instrumento locationis perpetualis diei 4 septembris 1734, descripta in libro foris “Libro delli instrumenti della veneranda Compagnia della beata Vergine del Carmine di Cavagione etc”. Cum vero tres quartae partes huius redditus sint troni 25.11.6, ideo haec societas celebrari facere tenetur missas decem septem. In hoc ipso altari est perpetua officiatura unius missae celebrandae in singulis diebus festis de praecepto et alterius in singula hebdomada, quae asseruntur relictiae a praedicto Augustino a Curte, erectore huius altaris, pro qua officiatura nobiles domini comites Angelus et fratres Ravignani, successores praedictorum a Curte, tenentur solvere reverendo domino Dominico Brentegani, ad praesens cappellano praedictae officiaturae,

ducatus triginta, qui fruitur etiam domo et nonnullis petiis terrae in pertinentia huius loci, ex quibus percipit cappellanus ipse tronos 70, ut idem reverendus Brentegani cappellanus asseruit; idque ex testamento praedicti Augustini a Curte, cuius particulam, non tamen autenticam, ostendit. [96] Altare quod olim erat sub titulo sanctorum Rocchi et Sebastiani, nunc sanctissimi Crucifixi nuncupatum, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem sanctissimi Crucifixi sub crystallis, de iure communitatis huius loci, a qua manutenetur. Altare sanctorum Filippi et Iacobi, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure nobilis familiae comitum de Lombardis, a quo de omnibus manutenetur. Admodum reverendis rectoribus pro tempore huius ecclesiae a quondam nobili domino Marco quondam nobilis domini Lombardi de Lombardis, in instrumento cessionis diei 17 decembris 1682 in actis domini Felicis Caliarì notarii, cessum fuit directum pro quo haeredes quondam Francisci dei Fiori tenebantur solvere quotannis die 20 iulii libras 12 denariorum veronensium, cum onere praedictis rectoribus manutenendi et in perpetuum conservandi dictum altare et, si quid ex manutentione superesset, impenderetur in celebrandis tot missis pro defunctis familiae de Lombardis iuxta conscientiam eorumdem rectorum. Cum vero modernus reverendus rector cognovisset altare destitutum esse et domum super quam erat directum praedictum corruì, monuit successores praedicti domini Marci, qui via iuris recuperaverunt praedictum directum, ut asseruit ipse reverendus rector, cum obligatione manutenendi ipsum altare. Ipsi nobiles domini de Lombardis solvunt quot annis reverendo rectori huius ecclesiae tronos 24, ut constat ex eius libris, visis et restitutis, pro quibus tenetur celebrare missas sexdecim, [96^v] ut ex superius relata tabella. Praeter superius descriptas obligationes quae sunt in praedictis altaribus, admodum reverendus dominus Franciscus Bernardi, huius ecclesiae rector ultimus defunctus, in eius testamento diei 31 decembris 1740 in actis domini Petri Bertoni notarii, exhibito et in fine huius libri posito ad litteram M, duas primo instituit mansionarias: unam in altari sancti Antonii, assignando partem illarum petiarum terrae ibidem descriptarum, quarum usufructum concessit reverendo domino Angelo Bernardi, eius nepotis, eius vita durante, cum onere eidem imposito ad hoc ut, ipso mortuo, praedictae duae officinae incipiant sub cura reverendi domini rectoris huius ecclesiae pro tempore, cui facultatem impertitus est duos cappellanos eligendi, qui sunt bonis, sanctis et religiosis moribus et aggravavit cappellanium praedictae primae officinae onere celebrandi quot annis eas omnes missas quibus aggravavit praedictum dominum Angelum, eius nepotem; alteram officinam ut supra institutam, disposuit pro altari beatae Virginis Mariae a Rosario, cum onere cappellano, ut supra eligendo, celebrandi missas omnibus diebus festis de praecepto et votivis, pro quibus assignavit alias petias terrae, ut supra, in partem usufructus assignatas praedicto reverendo domino Angelo Bernardi. Et ad hoc ut reverendus rector pro tempore huius ecclesiae attente incumbat ut eius pia dispositio exequatur, eidem legavit [97] usufructum cuiusdam domus et terrae ibidem descriptae nec non capitalis ducatorum nonaginta octo se eius precibus commendando. Tertiam instituit officinam unius missae quotidianae, exceptis tribus diebus ferialibus in quaque hebdomada in altari beatae Virginis Mariae a Nive huius ecclesiae, eligendo reverendum dominum Dominicum Benini, quo quodcumque deficiente, substituit filios et descendentes Hieronymi Benini eorumque haeredes in infinitum, cum onere faciendi celebrari quot annis praedictas missas. Quartam instituit officinam in altari sanctissimi Crucifixi, cum onere cappellano eligendo a communitate et consiliariis huius loci – qui tamen sit satisfactionis et assensus reverendi rectoris huius ecclesiae pro tempore – celebrandi perpetuo pro eius anima missam omnibus diebus festis de praecepto aut de voto huius communitatis in ortu solis et coadiuvandi in cura animarum huius ecclesiae, cui erit eroganda stips ducatorum sexaginta, ex redditibus provenientibus ex capitalibus ad id relictis. Tenetur insuper reverendus rector in hac ecclesia celebrare tot missas quot celebrari possunt iuxta redditum provenientem ex campo nuncupato in *Cereal*, ut ex tabella supracitata, pro anima quondam Francisci Giangiacomi. Cum vero ex eo campo percipiat fructum tronorum 14, ut ex pollicea ab ipso reverendo rectore exhibita et in fine huius libri posita sub [97^v] littera M, ipse celebrat alternis annis missas decem aut novem. Ex praedicta tabella rectores tenerentur celebrare missas quatuor pro quondam Appollonia Turrisendi, sed, cum eius legati memoria nulla extet qua dignoscantur redditus eidem obnoxii, quinimmo modernus reverendus rector audiverit eius

antecessorem omisisse adimpleri hanc ut supra descriptam obligationem, eo quod inexigibiles essent redditus et fundus omnino deperditus, ipse quoque a celebratione illarum quatuor missarum abstinet. His habitis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in aedes parochiales se recepit et reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum [a margine: San Michel] publicum oratorium sub titulo Sancti Michaelis Arcangeli, infra limites parochialis Cavaioni, de cuius communitatis iure est et ab ea de omnibus manutinetur. Vidit in eo unicum altare marmoreum cum portatili et icone depicto, in reliquis ligneum cum antipectile ex chorio. Vidit iconem praedictum male omnino servari, antipectile vetustate consumptus, gradus a candelabris indecentes esse, crucem in medio altaris divino cultui non convenire, non exequatas esse ordinationes praecedentium visitationum de tabellis providendis, de pulvinaribus, de antipectili, de pavimento adequando et altare ipsum nullo decenti modo ornatum esse, carere etiam umbella qua tegatur et omnibus mappis et stragula; ideoque altare ipsum suspendit donec exequatae fuerint ordinationes [98] praedictae et de praedictis omnibus provisum. Visitavit domum contiguam, quam inhabitat Vincentius Martini haeremita, ad custodiam ipsius oratorii deputatus. Vidit campanile, in quo collocata est parvula campana. Apparamenta omnia, quando occurrit celebrari in hoc oratorio, desumuntur a parochiali ecclesia. Quibus habitis, ad aedes parochiales regressus est, in quibus illustrissimus et reverendissimus praesul, facto iam sero, incoenatus obdormivit. Die veneris 8 mensis maii 1744. Orto sole, illustrissimus et reverendissimus antistes antedictus parochialem ecclesiam adiit et, divino Sacramento adorato, piam emisit praeparationem ac sacrificium missae celebravit; quo absoluto, supra biscentum utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Actis subinde Deo optimo maximo gratiis, in aedes praefatas reversus est et prandium sumpsit. Die antedicta 8 maii 1744 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in praedicta parochialem ecclesiam descendit, in qua sacris vestibus indutus centum circiter utriusque sexus christifideles sacro Chrismatis oleo in fronte signavit. In throno subinde sedit, a cuius lateribus sedibus dispositis in iis praestantiores horum locorum ecclesiastici viri nonnullique nobiles patritii veronenses sederunt. Ioannes Baptista Bonanius, auditor admodum reverendi domini Ioannis Baptistae Toblini, huius ecclesiae rectoris, nonnullas theses ex universa philosophia [98^v] propugnavit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis, una cum me notario, se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum [a margine: San Bortolamio] visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Bartholomaei, infra limites parochialis ecclesiae Cavagioni, de iure sanctae Domus Pietatis Veronae, a qua manutinetur. Unicum in eo vidit altare, marmoreum cum portatili et icone depicto, quod provisum fuit de iis omnibus de quibus ordinatum fuit in postrema visitatione anni 1730. Vidit sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra ad celebrationem missae necessaria quaeque descripta sunt a reverendo rectore in policea exhibita et in fine huius libri positam ad litteram M. Sacristia quoque provisa est de iis omnibus de quibus in postrema visitatione ordinatum fuerat. In hoc ipso oratorio celebratur missa diebus festis a reverendo domino Angelo Bernardi, qui accipit stipem a gubernatoribus piaae Domus Pietatis Veronae. Vidit etiam campanile, in quo est unica campanula. Ordinata. Fiat labrum in sacristia cum scitula ex qua depluat aqua ad manus abluendas ibidemque sit manutergium ad illas abstergendas – patena retro liniatur argento. Quibus habitis et cetera. Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Martini episcopi, [99] [a margine: San Martino] intra limites Cavaioni, de ratione nobilis familiae de Lombardis, a qua manutinetur de omnibus quaeque successit nobili domino Marco Pignolati, erectori huius oratorii, qui illud etiam dotavit legato – ut asseruit in visitatione anni 1711 – unius missae singulis diebus festis, quam missam celebrat reverendus dominus Bartholomaeus Bernardi. Unicum in eo est altare, marmoreum cum portatili et icone depicto, bene tentum. Vidit sacristiam et in ea apparamenta et vasa ad sacrum faciendum necessaria, descripta a reverendo rectore in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera M. Vidit etiam campanile, cum unica campanula. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santi Faustino e Giovita] Visitavit denique publicum oratorium sub titulo Sanctorum Faustini et Iovitae, intra fines parochialis ecclesiae Cavaioni, de iure communitatis ipsius loci, a qua manutinetur. Unicum habet altare, marmoreum cum portatili et icone depicto. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione et huc convenit

communitas Cavaioni cum processione sanctorum titularium et, occasione missae celebrandae, a parochiali ecclesia apparamenta ministrantur. Super muros huius oratorii vidit campanile, in quo collocata est unica campanula. [99^v] Ordinata. Provideatur altare de cruce cum crucifixo in illa affixo – ponatur umbella super altare, qua altare ipsum et sacerdos celebrans contegantur – exequatur ordinatio postremae visitationis anni 1730 de ponenda cruce ferrea in culmine tecti. Quibus absolutis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, audita conclusione, in aedes parochiales regressus, in iis absque cibo somno se dedit. Die sabbathi 9 mensis maii 1744. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus praefatam parochialem ecclesiam petiit ac in eadem sacrum fecit eoque absoluto, nonnullos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Pastoralis suae visitationi subinde incumbens, visitavit sacristiam et in ea apparamenta et vasa ad sacrum faciendum neccessaria, in armario ex nuce servata quaeque descripta sunt in pollicea exhibita a reverendo rectore et in fine huius libri posita sub littera M. Visitavit subinde totam ecclesiam, quae est sufficientis structurae, non consecrata, nativitati Sancti Ioannis Baptistae dicata viditque in ea suggestum ex quo, cum mandato et benedictione episcopali, concionatur omnibus diebus festis Quadragesimae et quaque singula sexta feria martii et concionator eligitur ab hac communitate, a qua stipem accipit tronorum sexaginta. [100] Vidit etiam campanile, cum duabus campanis et uno tintinabulo. Subest hoc benefittium iurisdictioni episcopali et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini. Posthaec in aedes praedictas receptus, in proprio cubiculo una cum reverendissimo domino provicario suo generali pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt consilarii huius communitatis qui, interrogati de vita, moribus ac diligentia in proprio officio tam reverendi rectoris quam sacerdotum et clericorum hic degentium et an in hoc loco adsint publici peccatores, de omnibus bene responderunt nullumque publicum peccatorem existere fassi sunt. Insteterunt et exposuerunt consilarii praedicti, quorum nomine locutus est Antonius Tramonti, quatuor officiaturas nuper institutas fuisse a quondam reverendo domino Francisco Bernardi, rectore huius parochialis ecclesiae, a quo nihil assignatum fuit sacristiae huius ecclesiae, quin immo alias adesse quoque officiaturas et obligationes missarum, quae celebrantur in hac ipsa ecclesia neque pro iisdem aliquid contribui eidem sacristiae; quapropter suam illustrissimam et reverendissimam dominationem supplicaverunt humilime ut dignetur decernere ex redditibus praedictarum omnium obligationum aliquid cum proportionem respective praedictae sacristiae tribuendum esse et ita et cetera. Qua supplicatione audita, cum ex peracta visitatione respectivarum officiaturarum et obligationum sumptarum cognoverit [100^v] illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ex redditibus earumdem nihil sacristiae contribui, ex quo ii qui tenetur manutenere sacristiam nimis gravantur, considerata suprascripta instantia aliisque considerandis, decrevit ut aliquid cum proportionem contribuatur et respective ex redditibus obligationum et officiaturarum praedictarum pro sacristia, sibi resservans decernere quidquid pro quacumque obligatione aut officiatura erit contribuendum et ita et cetera, omni et cetera. Reverendus dominus Ioannes Baptista Toblini, rector huius benefitii, quod obtinuit anno 1740, modo agens aetatis suae 42 annum et obtulit bullas et mandatum executivum diei 29 ianuarii 1740 nec non libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos vidit et visitavit riteque instructos esse cognovit. Idem reverendus Toblini rector fuit monitus ut obediat edictis episcoporum praedecessorum de non faciendis representationibus in ecclesia ac ne detineat domi ancillam vel ancillas contra tenorem canonicarum sanctionum et caveat ab omni specie avaritiae, sed curet muniorem cultum ecclesiae et sacristiae. Interrogatus subinde de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hoc loco degentium et an ibidem adsint publici peccatores, de sacerdotibus et clericis bene respondit nullumque publicum peccatorem existere testatus est. [101] Exposuit idem reverendus rector inter officiaturas institutas a praedicto reverendo domino Francisco Bernardi, eius antecessore, illam esse quam erexit in altari sanctissimi Crucifixi, cum obligatione sacerdoti, eligendo a consiliariis seu a communitate huius loci, coadiuvandi in cura animarum, qui tamen sit eligendus cum satisfactione et consensu domini archipraesbyteri pro tempore huius parochiae. Cum vero, dum nuper communitatis homines elegerunt cappellanum, hanc

obligationem coadiuvandi non exprimentes, instetit et supplicavit suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut decalraret intentionem praedicti reverendi Bernardi testatoris, decernendo teneri cappellanum electum vel eligendum pro tempore non solum missas celebrare, sed sibi etiam coadiuvare in cura animarum, ita tamen ut nullus eligatur cui non consenserit ipse dominus archipraesbyter et non sit eius satisfactionis, quam curam semper exerceat dependenter ab assensu et satisfactione domini archipraesbyteri pro tempore, qui assensus non solum requiratur dum eligitur, sed dum ipse exercet curam, a qua ab ipsomet archipraesbytero possit removeri si et in quantum et cetera, prout a canonicis sanctionibus constitutum fuit, supplicans insuper ut locus in functionibus decernatur. Reggentes huius comunitatis praedicti, audita instantia reverendi rectoris, responderunt se acceptasse commissariam a praedicto reverendo testatore institutam pro hac officitura cum conditione [101^v] se se suamque communitatem indemnes servandi ab omni praeiudicio et damno; qua propter, quoad eandem communitatem spectat, se se submittere declarationi faciendae a dominatione sua illustrissima et reverendissima, dummodo nihil praeiudicii inde proveniat eidem communitati, protestantes et cetera, si et in quantum et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, perpensa instantia reverendi rectoris, considerata dispositione praedicti testatoris auditisque reggentibus praedictis, decrevit ut in instantia ipsa domini rectoris, sine ullo tamen praeiudicio specialitatis communitatis, sibi resservans, quoad remotionem cappellani, cognoscere causam prout de iure et cetera, decernens insuper praedictum cappellanum in functionibus omnibus huius paroeciae gaudere posse tertio loco, quatenus ipse reverendus rector alium curatum sibi eligat vel eligere vellet et participare de emolumentis iuxta methodum quam sibi idem illustrissimus et reverendissimus praesul decernere resservavit si et quatenus et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Comparuit successive dominus Sperindeus Bernardi, vicarius huius communitatis et praesentavit actum vicinae eiusdem communitatis diei 13 februarii 1743, quo eadem comunitas concessit admodum reverendo domino Ioanni Baptistae Toblini, rectori huius parochialis, facultatem aedificandi domum supra solum cuius pars spectat ad ipsam communitatem, cum conditione quod eadem domus, post eius mortem, cedat beneficio vel ecclesiae parochialis – cui in partem spectat idem solum – vel communitatis praedictae, quod ibidem cum ea conditione [102] concessum fuit et instetit in actis huius visitationis adnotari ad perpetuam rei memoriam huiusmodi concessionem, cum conditione praedicta et servari etiam exemplar authenticum, quod exhibuit eiusdem actus, ad hoc et cetera et ita et cetera. Quam instantiam illustrissimus et reverendissimus praesul admisit et decrevit in his actibus servari actum vicinae praedictae ad perpetuam rei memoriam et pro omni meliori effectum et ita et cetera, omni et cetera. Venit subinde Vincentius Martini, haeremita deputatus custodiae oratorii Sancti Martini, cum opportunis testimonialibus, hodie ad sex menses confirmatis. Comparuerunt, vocatae, Veronica relicta quondam Ioannis Baptistae Mascanzoni, Barbara uxor Francisci Refondini et Lucia uxor Antonii Olivetti, obstetrices huius loci, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, bene edoctas se se ostenderunt. Helisabeth relicta quondam Dominici Reali, altera obstetrix, cum ob eius aetatem comparere non potuisset, attamen reverendus rector testatus est ipsam expertam esse in ministrando praedicto sacramento baptismatis in casibus neccessitatis. Reverendus dominus Dominicus Brentegani, sacerdos aetatis annorum 75, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 19 augusti 1743. Reverendus dominus Angelus Bernardi, sacerdos annorum 48, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 2 novembris 1743. [102^v] Reverendus dominus Hieronymus Castorio, sacerdos annorum 45, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 11 iulii 1743. Reverendus dominus Dominicus Benini, sacerdos annorum 35, qui fuit a divinis suspensus, ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus dominus Iacobo Cabrusà, sacerdos annorum 31, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato diei 6 augusti 1743. Reverendus dominus Bartholomaeus Bernardi, sacerdos annorum 35. Reverendus dominus Albertus Benini, sacerdos aetatis annorum 33. Clericus Antonius Caprini, annorum 22, in lectoratus ordine constitutus. Clericus Felix Zuccalmalio de Caprino, annorum 20 circiter, in minoribus constitutus et hic degens studiorum causa. Pompeus Prati filius Leonardi, in habitu, aetatis annorum [manca]. Clericus Andreas Severi, annorum 22, cui

impositum fuit dimittere vestem clericalem. Qui omnes, debito obsequio eorum praesuli, mandata ordinum et ad curam animarum respective obtulerunt. Hisce peractis, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 9 maii 1744 post prandium. Hora vigesima circiter huius diei venerunt ad hanc parochialem ecclesiam Cavaioni pueri, puellae ac operarii scholae doctrinae christianae, una cum clero, paroco ac militibus loci Calmasini, processionaliter divinasque laudes decantantes, qui in ipsa ecclesia recepti ibidemque etiam congregata schola doctrinae christianae Cavaioni, praesulem optimum [103] et patrem amantissimum expectabant. In hac igitur parochiali ecclesia descendit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et, adorato divino Sacramento factisque sequentibus ordinationibus, cum recitatione psalmi *De Profundis*, huius ecclesiae parochialis et populi visitationem explevit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburentur earumque cineres in eodem spargantur et continuo abrasae servantur – muri circumdantes coemeterium restaurentur ubi indigent – inaretur clavis tabernaculi vel fiat argentea et valva ipsius tabernaculi vestiatur intus panno serico albo – firmetur crux in apice pixidis – conopeolum eiusdem ornamento in eius fimbria instruatur, quo longior evadat conopeus – vas pro purificandis manibus, quod est ad formam pixidis, non adhibeatur ad hunc usum – exequatur ordinatio in visitatione anni 1730 facta de intus vestienda custodia oleorum sanctorum panno serico violacei coloris – erigatur super baptisterium novum ciborium ex nuce et illud cooperiatur conopeo sericeo vel medii serici violacei coloris – suspenditur confessionale mobile donec de nova crate provideatur et etiam illud stabile prope ianuam minorem ecclesiae, donec provisum sit de cratibus cum foraminibus minutioribus - [103^v] alteri confessionali ponantur imagines devotae a parte poenitentium – exequatur ordinatio facta in visitationibus 1711 et 1730 de figura resurrectionis providenda et apponenda in apice tabernaculi tempore paschali – provideatur de quatuor vasculis cum floribus pro ornamento altaris sanctorum Filippi et Iacobi – de tribus mappis pro ipso altari, ad hoc ut mundari possint tres illae quae ibidem existunt et inter has tres mappas una sit caeteris ornatior – omnibus altaribus ponatur umbella, qua altaria ipsa singula et sacerdotes celebrantes contegantur – singulis ipsis altaribus provideatur stragulum quo cooperiantur et tela qua eorum icones tegantur tempore Passionis – suspenditur calix maior cum sua patena, donec eius cupa et patena ipsa inarentur – patena calicis minoris retro auro vel argento liniatur – instituatur liber, in sacristia semper servandus, in quo omnes et singuli sacerdotes celebrantes scribant respective eorum nomina et declarent intentionem pro qua applicaverunt – vestiatur intus valva tabernaculi lignei, quo utitur in hebdomada maiori, panno serico albo – tabella obligationum reformetur iuxta declarationes in hac visitatione expressas – provideatur de duobus pelvibus pro urceolis – in missalibus romanis addantur missae recentiores sanctorum - [104] supra labrum quod est in loco ante sacristiam ponatur scitula, quae ibidem semper cum suo manutergio servetur, ad manus sacerdotum abluendas et abstergendas – exequatur ordinatio facta in visitatione anni 1711 de labello pro aqua benedicta ponendo ad ianuam sacristiae – lapis qui est supra sepulcrum familiae nobilium de Castoriis perfractus mutetur et integer alius ibidem collocetur et aptetur – labrum aquae benedictae quod est apud portam maiorem ecclesiae errigatur et sub eo per ponatur.

Egressus ex ecclesia Cavaioni receptisque obsequii et venerationis argumentis tam a reverendo rectore, clero, principalioribus ac populo ipsius loci Cavaioni quam a paroco, clero et populo Calmasini, paratum equum ascendit ac, praecedentibus scolis doctrinae christianae utriusque communitatis, cum suis respective cleris, parochis et militibus rusticanis, processione ordine servato, ad parochialem ecclesiam Calmasini, subsequente suo comitatu, iter contendit. In itinere a praedictis militibus frequenti sclopporum explosione fuit salutatus et hoc ordine ad aedes parochiales Calmasini perventus ac ibidem iterum deveneratus a reverendis parochis, clero, principalioribus ac populo utriusque loci, in easdem se se recepit, quieti se tradidit et incoenatus obdormivit.

[104^v] [A margine: CALMASINO] Die dominico 10 mensis maii 1744. Facto mane suprascriptae diei, omnibus in ecclesia dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus descendit ad portas aedium parochialium ibidemque sub baldachino, a sex gravioribus viris gestato, super pulvinaribus stratis, crucem sibi porrectam a reverendo paroco superpelliceo et stola induto

adoratus et deosculatus est; clero processionaliter praecedente solitaque decantante, ecclesiam parochialem Sancti Michaelis Arcangeli de Calmasino adiit, in cuius limine, aspergillo accepto ab eodem reverendo paroco, se signavit, populo benedixit ac thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum adoravit decantatisque interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impertitus est. In throno sibi a latere evangelii altaris maioris decenter parato, violacei coloris sacris indumentis indutus, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem proximo persolvit. Violaceis apparamentis exutus albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit divinum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea in cupa, in reliquis eius partibus ex cupro inaurato et in tabernaculo marmoreo sub sera et clavi – quae est argentea – rite servatum et tute custoditum. Vidit amygdalam argenteam inauratam nec non ostensorium [105] radiatum, quoque argenteum, rite instructum, cuius pes aptatur etiam cupae unius calicis argentei. Reverendus parochus huius ecclesiae, parendo mandatis huius visitationis, obtulit policeas, in fine huius libri positas ad litteram N. Ex factis perquisitionibus habuit statutis temporibus hoc Sacramentum renovari; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; sub hac cura adesse animas a communione 310, in totum vero 481 nullumque praecepto ecclesiae inobedientem esse; dum ad infirmos deferendum est hoc Sacramentum, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari. Expositionem huius Sacramenti fieri singula quaque tertia dominica mensis et simul processionem, quae etiam fit in die Corporis Domini, quibus functionibus providet communitas huius loci, prout etiam providet de cereis et de oleo pro lampade, quam ante hoc Sacramentum continuo ardere idem reverendus parochus testatus est. Extant suppellectiles pro decenti associatione huius Sacramenti, quas vidit et visitavit. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit ac complures utriusque sexus christifideles eodem celesti Pane refecit. Interea reverendissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci, infra limites huius parochialis ecclesiae de Calmasino, de iure domini [105v] Antonii quondam domini Silvii Brugnoli, [A margine: San Francesco] in quo unicum vidit altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in gradibus ligneum, cum antipectili ex chorio. In hoc oratorio – ut apparet ex testamento quondam dominae Angelae Lombardi, uxoris domini Taffelli de Taffellis diei 30 iunii 1626 in actis domini Hieronymi Gamboni, notarii de Bardulino, cuius exemplar, non tamen autenticum, exhibitum fuit, visum et restitutum – ab ipsa domina Angela Lombardi Taffelli institutum fuit legatum perpetuum tot missarum in anno quot celebrari possent ex redditu ducatorum sex de grossis, aggravando praedictum eius virum, quem constituit suum haerodem universalem, ad ipsum legatum quot annis solvendum. Super quo legato interrogavit utrum adimpleatur responsumque fuit a domino Francisco Fracastorio, tutore praedicti domini Antonii Brugnoli pupilli, hoc legatum non adimpleri neque teneri pupillum ipsum ad id adimplendum, cum ipse nulla bona possideat ex haereditate praedictae testatricis; quod, si in familia Brugnoli aliqua bona familiae Taffelli pervenerint, constat ea pervenisse iure dotis libera et sine onere praedicto missarum; unde putare ad hoc onus teneri nobilem dominum Antonium Mariam Taffelli, quo est pronepos praedicti haeredis hoc ipso onere gravati. Vidit et visitavit apparamenta et vasa ad sacrum faciendum neccessaria nec non campanile, in quo est unica [106] campanula. Ordinata. Exequantur ordinationes in visitationibus 1711 et 1730 factae de claudendo altari a lateribus, de portatili elevando et circum ipsum rimis claudendis, de ramatis ad fenestras ponendis seu saltem valvis ligneis claudendas, de fornice super altare instaurando, de genuflexorio pro missae praeparatione providendo, prout de planeta nigri coloris – provideatur de pelvi pro urceolis. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam regressus est. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, reposito divino Sacramento, sacerdotalibus indutus vestibus, sacrosanctum missae sacrificium celebravit, nonnullos etiam utriusque sexus christifideles communicavit et aliis compluribus Confirmationis sacramentum ministravit. Posthaec visitavit olea sancta viditque eorum vascula maiora ex stamno, in capsula ex nuce sera et clavi munita, in loculo in cornu evangelii altaris maioris, sub sera et clavi custodita, quae vascula mittuntur ad plebem Lazisii ad recipienda eadem olea. Vidit vascula minora, cum oleis

pro sacramento baptismatis ac etiam vasculum olei infirmorum, quoque ex stamno confecta. Visitavit fontem baptismalem, in calce ecclesiae positum prope ianuam maiorem, in loculo rastris ligneis clauso, sera [106^v] et clavi munito. Vidit etiam duo confessionalia, in hac parochiali ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, marmoreum cum portatili, de iure communitatis huius loci, a qua manutenetur. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo celebrat reverendus parocus et diebus festis applicat pro populo. Altare sub titulo Purificationis beatae Virginis Mariae, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, sub crystallis servata, de ratione societatis eiusdem beatae Virgini Mariae, quae antiquitus instituta asseritur in visitatione anni 1711. Haec societas habet redditus tronorum 357.19, ut constat ex libro Scodirolo nuncupato pro anno 1743, exhibito a Ioanne Baptista Rossi, massario eiusdem societatis, viso et restituto, scilicet pro affictu quem exigit ab Andrea et Thoma fratribus Avanzi tronos 9, a Simone Agnoli tronos 2.8, a Bernardo Zuanini seu a Paulo Venturini tronos 4.13, a domino Carolo Sachini tronos 31, a Ioanne Rossi tronos 11.1, a Ioanne Scalabrini tronos 26.7, a Ioanne Baptista del Prete tronos 15.10, a Georgio et Antonio fratribus Scalabrini tronos 10.13, a Bartholomaeo Pastori tronos 8.5.6, a Bartholomaeo et Stephano fratribus Pastori tronos 158, a Bartholomaeo Pastori tronos 31, ab Andrea Aldrighetto tronos 18.12 et a Bernardo Zuanini tronos 15.10. Ex testamento autem quondam reverendi domini Antonii de Gobbis, curatis huius [107] parochialis ecclesiae diei 26 aprilis 1630 in actis cancellariae praetoriae Veronae, ibidem exhibito, viso et restituto, tenetur celebrari facere a reverendo paroco huius ecclesiae quacumque hebdomada tres missas pro anima praedicti testatoris eiusque coniunctorum, cum conditione quod, si infirmus fuerit, ita ut ipse parochus celebrare non possit, per alium celebrari facere ipse non obligetur, spacio tantummodo unius mensis, pro quo onere reliquit, iure legati et in perpetuum, ducatos viginti quinque annuatim ac praeterea reliquit sacerdoti tronos decem quot annis pro cereis; societati autem reliquit tronos 21 annuatim, ad hoc ut ex iis octo impendantur pro beneficio eius altaris, reliqui autem cederent beneficio societatis, quam oneravit ut exigeret affictus capitalium in eodem testamento ad hoc relictorum. Praeter piam suprascriptam dispositionem, in eodem testamento ipse testator substituit ipsam societatem haeredi a se instituto quoties eius linea masculina legitima deficeret, ad hoc ut in hoc casu societas praedicto reverendo paroco tribueret annuatim ducatos novem, ex quo ipse aliam missam in quacumque hebdomada celebraret. Haec societas ex redditibus suprascriptis solvit reverendo paroco huius ecclesiae ducatos viginti quinque pro missis tribus in hebdomada, quas ipse celebrat ac praeterea pro cereis eidem solvit tronos decem, iuxta dispositionem praedictam. Quoad vero substitutionem superius descriptam, cum venerit [107^v] ut linea masculina praefati haeredis instituti cessaverit, societas via iuris intentat additionem haereditatis ipsius, cui ipsa substituta fuit, sed adhuc iudicatum non fuit. Bartholomaeus quondam Antonii del Prete, in suo testamento diei 27 iunii 1635 in actis domini Gasparis Rossi notarii (cuius particula, non tamen autentica, exhibita, visa, restituta fuit), iure legati reliquit societatibus, scilicet sanctissimi Sacramenti et beatae Virginis huius ecclesiae, id quod ibidem descriptum est, ad hoc ut medietas legati cedat beneficio primae societatis, altera medietas secundae, cum onere utrique societati faciendi celebrari quot annis et in perpetuum tres missas pro quaque pro eius anima. Haec dispositio reggentibus societatis beatae Virginis Mariae, a quibus asseritur ipsam societatem gaudere integro fructu praedicti legati, adimpletur et sex missas quot annis per eorum reverendum parochum celebrari faciunt iuxta praedictam dispositionem. Praeterea societas praedicta solvit eidem reverendo paroco tronos 9 pro tribus missis, quas ipse celebrat pro quondam domino Ludovico Rossi et aliis duabus pro quondam domino Simone et fratribus Bevilaqua, iuxta obligationem descriptam in tabella existente in sacristia huius parochialis ecclesiae, cuius copia in fine huius libri sub littera N posita est. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et icone depicto, quod manutenetur a societate eiusdem Rosarii ibidem canonice erecta, ut recognitum fuit in visitatione 1711. [108] Haec societas nulla habet onera neque cognoscuntur eius redditus, cum, si qui sunt, administrantur a reggentibus iisdem qui regunt societatem praedictam Purificationis beatae Virginis Mariae. Visitavit retro altare maius chorum et sacristiam eidem proximam et in ea apparamenta et vasa sacra ad

missae celebrationem neccessaria quaeque descripta sunt in inventario exhibito et infra posito ad litteram N, omnia rite instructa et bene tenta. Cum vero vidisset angustiam sacristiae et chori, illustrissimus et reverendissimus praesul hortatus est reggentes huius communitalis ut chorum dilatent et erigant novam ampliorem sacristiam, quod perfecturos se promiserunt, dummodo tempus opportunum eis concederetur. His actis, in edes parochiales restitutus, prandium sumpsit et paulisper obdormivit. De antedicta 10 mensis maii 1744 post prandium. Convocatis iam in parochiali ecclesia Calmasini praedicti per solita signa pueris, puellis ac operariis scholae doctrinae christianae pro huiusmodi sancti operis exercitio, in eam illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus descendit adoratoque sanctissimo Sacramento, praedicto sancti operi incubuit et, per diligens examen illis de suo mandato factum per reverendum parochum huius ecclesiae circa mysteria fidei aliaque ad aeternam salutem neccessaria, omnes bene edoctos esse comperuit omnesque hortatus est ut in eodem exercitio perseverent, aeternum praemium a summo Deo recepturos. Oblatos sibi libros [108^v] huius scholae inspexit, ex quibus hanc ipsam scholam iuxta regulas congregationis generalis doctrinae christianae Veronae regi et gubernari cognovit. Visitavit subinde totam ecclesiam, quae non est consecrata, dedicationi sancti Michaelis Arcangeli dicata, de iure huius communitalis, a qua de omnibus manutenetur viditque in ea suggestum, ex quo aliquando concionatur tempore Quadragesimae diebus tantummodo festis et concionator, qui idem officium exercet cum mandato et benedictione episcopali, eligitur ab hac communitate, a qua stipem non accipit, sed tantum munus. Ecclesia haec est de iure patronatus amovibiliter eligendi et presentandi curatum pro uno voto admodum reverendi archipraesbyteri pro tempore parochialis ecclesiae Lazisii et pro altero voto communitalis huius loci, a quibus anno 1734 praesentatus fuit reverendus dominus Ioseph Zuanni, sacerdos huius loci. Vidit campanile, in quo duae extant campanae et unum tintinabulum. Posthaec supra quingentos utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte signavit. Quibus peractis, in aedes parochiales regressus, una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit in iisdem aedibus et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Ioseph Zuanni, sacerdos aetatis annorum 55 circiter, parochus amovibiliter electus ad hanc curam animarum exercendam anno 1734, cum mandato huius curiae ad hoc, [109] ad annum confirmato die 23 octobris 1743, qui obtulit libros huius curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos rite instructos vidit. Interrogatus subinde de vita et moribus sacerdotum in hoc loco degentium et an ibidem adsint publici peccatores, respondit sacerdotes honeste vivere nullumque – Deo favente – publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Iacobus Agosti, sacerdos annorum 31, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 2 aprilis 1744. Reverendus dominus Petrus Antonius Rossi, sacerdos aetatis annorum 26 circiter. Venerunt subinde reggentes et consiliarii huius communitalis, qui interrogati de vita, moribus ac diligentia in proprio ministerio reverendi parochi et aliorum sacerdotum et an in hac paroecia sint publici peccatores, responderunt eorum parochum bonis vita et moribus esse, diligentem in proprio ministerio caeterosque sacerdotes honeste vivere nullumque publicum peccatorem – Dei gratia – existere. Denique vocatae comparuerunt Ioanna uxor Iosephi Perini, Margarita relicta quondam Silvestri Rossi et Angela relicta quondam Ioannis Mariae Scalabrini, obstetrices huius loci, quae examinatae circa administrationem sacramenti baptismatis in casibus neccessitatis, se se sufficienter instructas esse ostenderunt. Hisce absolutis, in proprio cubiculo se se recepit, quieti se tradidit et absque cibo obdormivit. [109^v] Die lunae 11 mensis maii 1744. Facto mane huius diei, illustrissimus et reverendissimus antistes in ecclesiam parochialem antedictam descendit adoratoque divino Sacramento praemissisque infrascriptis ordinationibus, pro defunctis preces fudit ac visitationem huius ecclesiae, cleri et populi de Calmasino in Domino explevit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, ibidem comburantur et continuo abrasae servantur – muri circumdantes coemeterium attollantur et sarciantur ubi indigent – coemeterium in quo sepeliuntur cadavera advenarum muro claudatur et impediatur semita quae existit in eodem coemeterio nullique pateat – ratri lignei muniantur sera et clavi, qua clausi semper sint – erigatur columna in hoc coemeterio, cum cruce ferrea in apice – provideatur de fanali maiori, qui praecedat in processionibus – valva custodiae oleorum sanctorum vestiatur intrinsece panno serico violacei

coloris – renoventur vascula oleorum pro baptismo et ad formam cocleae sit eorum operculum – erigatur novum ciborium ex nuce supra fontem baptismatis, quod ita sit compactum ut nullae in eo pateant rimae - [110] utrique confessionali ponatur pagella casuum resservatorum ex parte confessarii et, ubi desunt, devotae imagines ex parte poenitentium – portatile altaris maioris provideatur de tela cerata, qua cooperiatur – provideatur portatile altaris Purificationis beatae Virginis Mariae de tela cerata, qua omnino tegatur – provideatur de tela cerata portatile altaris beatae Virginis Mariae a Rosario eiusque rimulae obturentur.

Expleta visitatione parochialis Calmasini et ex ecclesia egressus deveneratusque a reverendo paroco, clero et populo ipsius loci, equum paratum conscendit, quem antequam conscenderet praesto illi fuerunt principales communitatis Pastringhi, cuius nomine dominus Antonius Biondelli obsequii et devenerationis argumenta praebuit; praecedentibus itaque ipsius communitatis militibus centuriae tam equestris quam pedestris ipsisque principalioribus, subsequente vero suo comitatu, equo ascenso, iter suum Pastringhum versus direxit. Ad confinia perventus, iterum deveneratus fuit a reverendo paroco, clero et populo Calmasini salutatusque frequenti sclopetorum explosione a militibus utriusque communitatis, iter suum progressus est. Finibus Calmasini transactis et non procul a parochiali Pastringhi, obviam habuit scholam doctrinae christianae huius loci, [110^v] una cum clero et populo processionaliter incedentem, tubarum ac tibiarum clangore pro tanti praesulis adventu laetantem, qua praecedente iter prosecutus est usque ad aedes parochiales Pastringhi.

[A margine: PASTRENGO] Quo perventus, in iisdem se se recepit et parumper quievit. Dimissis brevioribus episcopalibus vestibis, longioribus sumptis omnibusque in ecclesia paratis, ad portas aedium parochialium descendit ibidemque sub baldachino, a sex principalioribus loci gestato, receptus, crucem sibi a reverendo paroco pluviali induto porrectam, super pulvinaribus stratis genuflexus, adoratus et deosculatus est cleroque praecedente et solita canente, parochialem ecclesiam petiit, in cuius limine, aspersorio accepto ab eodem reverendo paroco, aqua lustrali frequentem populum aspersit ac thurificationis honorem recepit. Ante altare maius stratus, sanctissimum Eucharistiae sacramentum adoravit decantatisque interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam impartitus est. Mox venit ad thronum, sibi a latere evangelii altaris maioris decenter paratum ac in eo violacei coloris sacris indumentis vestitus, exequias pro defunctis tum in ecclesia tum in coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. In ecclesiam regressus, violaceis apparamentis depositis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit divinum sacramentum Eucharistiae, [111] quod servatur in pixide argentea in cupa intus inaurata, in reliquis partibus ex cupro inaurato et in tabernaculo marmoreo, cuius valva est argentea, sub sera et clavi, quae clavis itidem est argentea, tute custoditum. Vidit quoque amygdalam argenteam intus inauratam nec non ostensorium radiatum quoque argenteum, cuius pede utitur etiam pro uno ex calicibus. Reverendus parocus obtulit polliceas in edictis praesentis visitationis requisitas et in fine huius libri positas ad litteram O. Ex factis interrogationibus cognovit hoc divinum Sacramentum statutis temporibus renovari; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; sub hac cura adesse animas 550, ex quibus hoc caelesti Pabulo communicant 387, omnes ecclesiae praecepto obedientes, duobus tantum exceptis, quorum animae divinae misericordiae sunt comendandae. Expositionem huiusmodi Sacramenti fieri singula quaque sexta feria martii et singula quaque tertia dominica mensis a festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae Crucis septembris et in die Corporis Domini, quo etiam fit processio impensis huius communitatis, prout etiam caeterae functiones supradescriptae. Lampadem quoque continuo ante idem Sacramentum ardere asseruit reverendus parocus, pro qua ut ardeat haec communitas providet de oleo. [111^v] Dum deferendum est idem Sacramentum ad infirmos, data opportunitate, in sero dari signa et indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua decenti associatione extant suppellectiles, quas vidit et visitavit, rite instructas et bene tentas. Populo subinde hoc ipso Sacramento benedixit, sacrosanctum missae sacrificium celebravit et nonnullis utriusque sexus christifidelibus calestem Panem propriis manibus praebuit. Posthaec visitavit olea sancta et eorum vascula maiora ex stamno

